BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
151
B
2
NAPOLI

RELATIONES
DE
LIBRIS
PHYSICO-MEDICIS
PARTIM ANTIQVIS
PARTIM RARIS

AVCTORE
FRIDERICO BOERNERO
MEDICINAE DOCTORE
EIVSDEMQVE IN ACAD. VITEMBERGENSI
PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS.
SODALI CAET.

FASCICVLVS I



VITEMBERGAE
IN OFFICINA AHLFELDIANA
1756

PERILLVSTRI
GENEROSISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
IOH. GOTTHILF
A GLOBIG
S. R. IMPERII EQVITI
AC LIBERO BARONI
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS
SERENISSIMIQVE PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE
IN
SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO
QVI DRESDAE FLORET
PRAESIDI

SACRI CVBICVLI REGII
COMITI PVRPVRATO

REGIAE AVLAE ET IVSTITIAE
CONSILIARIO

HEROI IN TOGA INCOMPARABILI

LITERARVM ET LITERATORVM
MAECENATI MAXIMO

DOMINO MEO PERIN
DVLGENTISSIMO

PROSPERITATEM PERPETVAM!

PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME DOMINE

DOMINE GRATIOSISSIME

Quo maiori nostrae non solum Athenae, verum omnis etiam Saxoniae respublica literaria pariter atque ecclesiastica, exultabant nuper gaudio atque laetitia, cum excelsum illum atque primarium a POTENTISSIMO SERENISSIMOQVE PATRIAE PATRE, *in* TE, DOMINE EXCELLENTISSIME, *Summo in Senatu ecclesiastico, beatissimi loco* HOLZENDORFII, *collatum esse audirent, dignitatis gradum; quo maiori iure, humanitatem atque clementiam* TVAM, *facilemque, afflictis in primis, ad* TE *praeuidentes*

 tes

tes aditum, insignemque TVAM *in suscipiendis negotiis alacritatem, in continuandis sedulitatem, in absoluendis suspicientes peritiam atque promtitudinem, atque amicam denique omnium virtutum heroicarum, quae perillustre* TVVM *obsident pectus, cum tanta tamque solida eruditione coniunctionem attoniti admirantes, cum admiratione atque venerabundi omnes boni sibi atque patriae gratulabantur: eo certe ego ingratior, immo omnium ingratissimus essem, nisi inter illos, qui cultum atque venerationem certatim* TIBI *deferre gestiunt, meum etiam cum primis profiterer nomen; eo certe minus quidem dubito, huncce perleuis momenti libellum, in horis meis subcesiuis exortum,* TIBI, DOMINE

GRA-

GRATIOSISSIME, TVAE*que, quam humillime imploro atque flagito, tutelae, summa animi deuotione, deuotissimaque* EXCELLENTISSIMI NOMINIS TVI *veneratione, tradere atque consecrare. Hoc namque, dudum iam pietas, qua* TE *veneror, gratique animi in* TE *mei aemulatio, debitum obseruantiae momentum urgebant, conquirebam etiam omnia: at tamen, quod* TANTI HEROIS *conspectu dignum esset, inueniebam nihil, diuque igitur anceps fui atque constitutus in ambiguo, quid agendum, quid* TIBI *offerendum esset, neque certe etiam unquam leuissimas hasce* TVO EXCELLENTISSIMO NOMINI *inscribere ausus fuissem lucubrationes, nisi plane singularis* TVA *et diuina penitus Comitas*

 atque

atque gratia, qua veros literarum amplecti soles cultores, audaciae meae promisisset veniam, nisi geometrice certe, ipsisque veritatibus mathematicis atque physicis omnibus certius persuasus fuissem, nec displicere TIBI *leuissima. Hac igitur* TVA *clementia, excitatus, fretus, atque confisus, quam cupidissime exoptaui, noui sub anni, ipsiusque simul felicissimi* TVI, *cum* ILLVSTRISSIMA BRVHLIA *connubii, auspiciis, arripio occasionem, publicum summissae atque penitus* TIBI *deditae mentis constituendi monimentum, atque haec auspicia utraque summa animi deuotione* TIBI *gratulandi, spe lactatus certissima, fore, ut quod* TIBI, *debita,* TVI EXCELLENTISSIMI NOMINIS *venera-*

nera-


neratione offerre ausus sum, beneuole etiam atque clementer accipias. Quo quidem ipso officio, cum defungar, addubito, utrum TIBI *de excelso, in quo regia* TE *clementia locauit dignitatis gradu, an communi potius patriae,* TVAS *propter virtutes, eo nomine debeam gratulari. Et quemadmodum omnium votorum meorum summa haec est, ut* TV, DOMINE GENEROSISSIME *atque* EXCELLENTISSIME, *cum* PERILLVSTRISSIMA CONIVGE, *ab omni temporum iniuria usque ad seram senectutem, tutus semper atque incolumis sis permaneasque, filiosque atque nepotes virtutum paternarum haeredes exosculari aliquando queas: ita etiam ego nullo unquam tempore religiosissimi hoc clien-*

tis officium deseram, ut praepotentem omnis prosperitatis statorem, continuis pro TVA CONIVGIS*que perenni salute atque incolumitate sollicitem precibus. Quae si eueniant, uti certe praeuideo, felicem me, omnium vero uotorum praedicabo compotem, si permissum etiam insuper mihi fuerit in* TVA *gratia,* TVO*que praesidio conquiescere. Sic enim emoriar*

PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIMI TVI NOMINIS

Vitembergae,
die XX. Ianuar.
cIↄ Iↄ CCLVI.

cliens atque cultor deuotissimus obseruantissimus
Fridericus Boerner, D.



LECTORI BENEVOLO

S.



Paucissimis verbis praefandi officio defungar, BENEVOLE LECTOR. Nouum Bibliothecae meae librorum rariorum physico-medicorum historico-criticae, olim iam coeptae, offero TIBI specimen, spe fretus, quod antiquo illud accepturus sis fauore. Tres scilicet praeterlapsi sunt anni, quod, cum adhuc *Guelpherbyti* essem, cuius gratissima semper mihi erit memoria, artisque meae ibi exercendae caussa viuerem, binas hoc de argumento promulgauerim commentationes, quas, plausu TVO exceptas, auctas nuper

recusasque dedi in *Noctibus* meis *Guelphicis* superioribus nundinis editis, *p. 161. seqq.* Hocque ipso inexpectato fauore, quo illas acceptas video, excitatus, iterum nunc in conspectum TVVM prodeo, telaeque, quam tunc texere coepi, iterum manum admouere volui, sique quid otii, a grauioribus studiis relictum fuerit, in posterum etiam hac via perrecturus. Non igitur, iterum antiquas eas hic legis recusas, crambemque bis TIBI coctam, tertia exhibeo vice; uti forsan putare possent, qui cum poetis atque pictoribus omnia sibi carpere licitum esse arbitrantur, pusque atque venenum, quod in pectore gerunt, qualibet data occasione manifestant. Sed, ut praecidam paucis, ne forsan irritentur crabrones, noua sunt, quae propono, et quamquam certas ob causas titulum libelli mei mutauerim, non tamen mutaui methodum, sed in id potius operam dedi, ut incoepto tramite pergerem, talesque in medium producerem libros, qui, uti gna-

rus

rus harum deliciarum amator facile videbit, rarae plerumque ſunt aues, quamuis non omnes unius eiuſdemque apud viros doctos fore deprehendas valoris, unumque altero ſaepe praeſtantiorem. Selegi autem eos non ſolum ex ipſis meis ſcriniis, verum etiam, *Auguſto-Carolinam Bibliothecam Ducalem Wolfenbuttelenſem* diligenter inſuper perluſtraui, indeque, quicquid ad rem meam facere videbatur, omni collegi induſtria. Non vero omnia, quae produco, mea ſunt. Eas enim, quas de FRANCISCI FRICIMELICAE, VOPISCI FORTVNATI PLEMPII, MARTINI SCHOCKII, DIODORIque EVCHYONTIS ſcriptis, vides enarrationes, *Viro* debes *arte ſua clariſſimo, experientiſſimoque et eleganter docto*, RVDOLPHO AVGVSTO VOGELIO, *Doctori Medico et Profeſſori hodie in Georgia Auguſta extraordinario*, qui pro ſuo in me fauore, id quod gratus publice profiteor, beneuole eas mecum communicauit. Conſului autem prae-

terea etiam clariſſimorum virorum, qui ante me hac in arena militarunt, et de libris rarioribus ingenere expoſuerunt, doctiſſima ſcripta, eorumque auctoritate, meorum librorum raritatem fulcire annifus ſum. Ex quibus nunc quidem, praeter iam olim laudatos VOGTIVM, BÜNEMANNVM, ENGELIVM et CLEMENTEM, viros omni mea laude maiores, honoris cauſa nominandi veniunt, THEOPHILVS SINCERVS, ſiue potius qui ſub hoc ficto nomine latere voluit, GEORGE IACOB SCHWINDEL, apud Norimbergenſes olim V. D. M. qui, uti inter eruditos conſtat, *Relationum de libris antiquis ac raris*, (**Nachrichten von lauter alten und raren Büchern**) *tria* edidit *volumina;* [a]) GE. SERPILIVS, [b]) HIERONYMVS

AVC.

a) *Volumen I* ſex complectitur particulas, quae prodierunt *Francof.* et *Lipſ.* 1731. ſeq. 8. *Volumen II* totidem gaudet partibus et lucem vidit *ibid.* 1733. ſeq. *Volumen III* autem *Norimbergae* prodiit 1736. mutato titulo: *Bibliotheca hiſtorico-critica librorum opuſculorumque variorum et rariorum*, oder *Analecta* von lauter alten und raren Büchern und Schriften.

AVG. GROSCHVFIVS;[c)] AVGVSTVS BEYERVS;[d)] DANIEL GERDESIVS;[e)] quique nouissime hanc in arenam descenderunt, FRIDERICVS GOTTHILF FREY-

b) Hic edidit Verzeichniß einiger rarer Bücher, Frankf. und Leipzig 1723. 8. quod tribus constat particulis sua omnino laude haud defraudandis.

c) *Nouae librorum rariorum collectionis tres* edere coepit *fasciculos*, *Halae* 1709. seq. 8. sed morte impeditus continuare laborem haud potuit; et licet nactus fuerit GODOFREDVM TILGNERVM, qui denuo operi manum admouit, *quartum*que et *quintum fasciculum* addidit, hic tamen aliud expertus est fatum, quo minus ulterius progredi potuerit.

d) Extant viri clarissimi et in re historiaque literaria versatissimi, de cuius vita et meritis uberius exposuit Maxime venerabilis E. L. RATHLEF in *Continuat.* des jeztleb. Gel. Europ. *Tom. V. p. 164 seqq.* *Memoriae historico-criticae librorum rariorum* etc. *Dresd.* et *Lips.* 1734. 8.

e) Edidit enim vir eleganter doctus, Historiaeque et Antiquitatum Ecclesiasticarum maxime gnarus, de cuius vita scriptisque ex instituto egit clarissimus I. C. STRODTMANNVS in Beyträgen zur Historie der Gelahrtheit, V. Theil p. 167. seqq. *Florilegium historico-criticum librorum rariorum, cui multa simul scitu iucunda intersperguntur* cet. *Groening.* 1740. 8.



TAG,[f] et IACOBVS WILHELMVS BLAVFVS,[g] Artium et Philosophiae Magister in Academia Ienensi longe clarissimus.

Horum inquam doctissimorum Virorum scripta perlustraui omnia, eaque quae ad nostrae artis βιβλιογνωσιαν spectant, mea feci, interdum etiam, si quae, quod pace eorum dixerim, minus recte proposita deprehenderim, emendaui atque correxi. Non enim omnia possumus omnes.


Quod reliquum est, in posterum hac via diligenter pergam, omnesque in id intendam


f) Hic doctissimus, doctissimi parentis, scholae prouincialis Portensis prope Numburgum Rectoris, filius, praeclare nostris diebus et ex instituto hac perfungitur opera, ut hanc suppellectilis librariae gazam symbolis suis adaugeat, rarissimosque undique colligat libros. Spectant huc elegantissima eius scripta: *Analecta Literaria de libris rarioribus*, *Lipf. 1750. 8.* edita, et *Apparatus literarius, ubi libri partim antiqui, partim rari, recensentur, Tom. I. Lipf. 1752. Tom. II. ibid. 1753. Tom. III. ibid. 1754.*

g) Huius vermischte Beyträge zur Erweiterung der Kenntniß seltner und merkwürdiger Bücher, prodierunt nouissime *Ienae* 1753. 8.

dam neruos, ut lectorum meorum ſemper conſeruem gratiam, variaque in poſterum etiam ſcripta minora, quae propter ſuam exiguitatem, exiguo temporis ſpatio rariſſima fieri ſolent, prorſus e tenebris eruam nouaque editione reddam parabilia; vel alia, quae ad rem literariam medicam ſpectant ſcituque iucunda ſunt aeque ac utilia, interſpergam interdum publicique faciam iuris.

Vale, Lector benevole, et laboribus noſtris in poſterum faue.





I

HORTVS EYSTETTENSIS, *ſiue diligens et accurata omnium plantarum, florum, ſtirpium, ex variis orbis terrae partibus, ſingulari ſtudio collectarum, quae in celeberrimis viridariis arcem epiſcopalem ibidem cingentibus hoc tempore conſpiciuntur, delineatio et ad viuum repraeſentatio, opera* BASILII BESLERI, *Philiatri et Pharmacopoei. MDCXIII.*

EN! libri non nitidiſſimis ſumtuoſiſſimiſque, et in re medica omnique naturali, botanica inprimis, propter ſplendorem praeſtantiſſimis ſolum, verum ob magnitudinem et haud vile pretium, infrequentemque adi-

piſcendi

piscendi eum opportunitatem, rarissimis etiam omni omnino iure suo annumerandum atque merito, quamuis, si rariorum librorum in auxilium vocaueris indices, parum vel nihil inibi de eo inuenies. h) Forma eius mapparum geographicarum superat magnitudinem, chartaque, quam vocamus, impressus est imperiali. Titulus, quem iam indicauimus, variis ornatus est figuris atque in aere incisus, artifice WOLFGANGO KILIANO, AVGVSTANO, calcographorum Germanicorum facile principe. Hunc statim sequitur dedicatio, quam BESLERVS ad Eystettensem, siue Eichstettensem Episcopum, ipsius huius horti, cuius plantas volumen exhibet, conditorem scripsit, IOANNEM CONRADVM, ex illustrissima splendidissimaque gente GEMMINGIORVM,

A 5 domus

h) Vnicus tamen excipiendus est FREYTAGIVS, utpote qui in *Analectis Literariis* p. 468. *seq.* quaedam de hoc opere protulit. Sed haec limam aliquam desiderare videntur, uti infra pluribus docturus sum.

domus *Hagenſchieſſenſis*, ortum; *familia*, quam FRIDERICVS cognomine dictus BARBAROSSA, Imperator, antea nobilitate iam clariſſimam, in comitiis Moguntiae habitis, A. MCLXXXII. vi diplomatis adhuc nobiliorem reddidit et dynaſtia donauit; *familia*, quae non claros ſolum ſemper Germaniae heroes ſagatos, verum et orbi literato togatos dedit, hocque ipſo adhuc die in Franconia floret atque Sueuia, et *Sapientiſſimo Potentiſſimoque Magnae Brittanniae Regi, et Electori Principi Brunſuicenſium et Luneburgenſium*, vero illi Defenſori fidei, GEORGIO *Magno*, viros donat, *quorum* nomina omnem meam ſuperant laudem, prudentiſſimiſque et ſapientiſſimis ſuis conſiliis reipublicae emolumento ſunt, praeſidio atque ornamento. [i] Data autem eſt epiſtola

i) Sunt *hi*, *quos* omni honoris, pietatis et obſeruantiae cultu nomino, feliciſſimarum terrarum Brunſuicenſium Electoralium vera decora atque praeſidia, *Generoſiſſimus*, *Excellentiſſimus et Perilluſtriſſimus*, *in ſumma atque ſuprema*, *quae Cellis*

epiſtola nuncupatoria *d. VIII. Kalend. Maias A. 1612. Eyſtetti, in monte S. Wilibaldi arce epiſcopali.* Laudat in ea *Epiſcopum* BESLERVS, virum aeterna laude dignum, qui tot imperii ſui feliciſſimi et ſapientiſſimi reliquerit

floret, Prouocationum Curia Regio-Electorali Vice-Praeſes, Dn. LVDOVICVS Liber Baro a GEMMINGEN, qui nominis, virtutum, eruditionis et meritorum ſplendore dudum corruſcat; pariter ac *Generoſiſſimi atque Illuſtriſſimi Domini* LVDOVICVS et OTTO HENRICVS, Liberi Barones a GEMMINGEN, ILLE quidem *in Cancellaria, quae Hannouerae eſt, Ordinarius,* HIC *in eodem Regio-Electorali conſilio, quod Cellis floret, Extraordinarius aulae atque iuſtitiae Conſiliarius, cuius poſtremi* inprimis in me clementiam atque fauorem omni obſeruantiae veneror cultu, maximoque mihi duco honori, quod in Paedagogio Regio, quod Halae floret, uno eodemque cum *eo*, per tres et quod excurrit annos, quod grata memini recordatione, frui licuerit contubernio atque muſeo, et in *quo* iam tum generoſiſſimorum et celeberrimorum *ſuorum* maiorum exempla non ſolum conſpiciebantur viuaciſſima, verum *qui* et in eo magni *noſtri* veſtigiis cum laude inſiſtebat Epiſcopi, quod ſtudii botanici eſſet amantiſſimus, prataque et ſyluas circumiacentes, eius cauſa ſaepius mecum frequentaret.



liquerit vestigia, ut vix habeat parem.[k] Praedicat insignem eius in studium botanicum amorem, qui, ubi inculti, steriles et saxosi apparuere montes, amoenissimos instruxit hortos, quorum quidem octo fuisse testantur alii. [l] Praedicat denique, quod et uniuersae Episcopus consuluerit posteritati, exterisque gentibus, et omnibus, quotquot amoenissimi studii botanici sectatores sunt et amatores, quod, quae praeclarissimus ille suppeditauerat hortus, plantas stirpesque rariores ad viuum aeneis expressas figuris, communicari iussisset.

Dedicatione hac finita, sequitur Decani et Collegii Medici Norimbergensis praefatio, quae, quid praestitum sit in amplissimo hoc volumine, concinne et nervose satis lectorem docet.

Postea

k) Plura de Eo tradit Gretservs in *Catalogo Episcoporum Eystettensium*, qui adiectus est Philippi *Chronico*.

l) Conf. V. Clar. Dn. I. C. W. Moehsen *de MSS. medicis Regiae Bibliothecae Berolinensis Dissertatio II. p. 68.*

Poftea ipfius editoris, vulgo crediti Besleri, locum occupat praefatio, ubi, cur fecundum quatuor anni tempora, quibus florent, in totidem digeffiffet claffes, horti Eyftettenfis plantas, profert rationes, eafque ipfo eo, quo in vigore conftitutae fuiffent, tempore, ut depingi eas et in aes incidi curaret, a Principe clementiffimo tranfmiffas fibi effe teftatur, minime autem omnes et fingulas, fed rariores duntaxat et principaliores, domefticis plus quam quadringentis omiffis, exhibuiffe oftendit.

Excipiunt praefationem hanc priuilegia, Beslero de vendendo libro conceffa, et tandem poft effigiem et infignia Besleri, fubiecto Georgii Remi breui carmine, quod in laudes eius excurrit, Auctorum in libro laudatorum Catalogus.

Sequitur nunc liber ipfe in quatuor diuifus partes, quarum unaquaeque titulum prae fe fert fingularem, femper in aes incifum. *Prima* pars plantas vernales in nouem diuifas

diuisas ordines, *Secunda* aestiuas in quatuordecim, *Tertia* autumnales in quatuor, et *Quarta* denique hibernas in uno absoluit ordine. Totum vero, quantum quantum est, volumen, ex tabulis aeneis, in quas incisae sunt plantae, constat, quarum paginis aduersis, descriptiones, sed breues admodum, auctoresque, qui plantas explicauerunt, adjecti sunt,[m] quamuis autem partem indices plantarum, Latinus et Germanicus, concludunt. Tabularum, quae plantas exhibent, aenearum numero sunt CCCLXIV,[n] titulis quinque et effigie Besleri exceptis.

Ipsa

m) Memini tamen quaedam etiam huius voluminis me vidisse exempla, in quibus descriptiones hae desiderantur.

n) Error hinc est, si in *Catalogo Bibliothecae Riuinianae*, librum hunc ex MLXXXIII. constare indicatur tabulis; hic enim numerus non de tabulis, sed de plantarum potius speciebus, quarum plures in una saepe inueniuntur tabula, intelligendus est. Idem censendum est de Linnaei verbis, quando *Biblioth. Bot. p. 23.* editum eum esse cum figg. 1533. asserit; ubi nouus tamen ortus est error typographicus, qui legendus 1083.

Ipſa huius horti hiſtoria enarranda, tradendaque eius deſcriptione facile ſuperſedere potero, cum partim editor in dedicatione atque praefatione, partim etiam Vir Clariſſimus atque Experientiſſimus Dn. Io-ANNES CAROLVS WILHELMVS MOEH-SEN, Medicus apud *Berolinenſes* celeberrimus, Fautor meus atque amicus ſingulariter colendus, praeclare et abunde ſatis hac opera iam perfuncti ſunt. [o] Sed de pſo huius voluminis auctore editoreque icenda quaedam reſtant.

Creditur vulgo fuiſſe eum BASILIVM ESLERVM, Pharmacopoeum Norimbergenſem, ſtudiique batanici non plane ignarum. Idque non ſolum ipſe voluminis tulus indicat, verum et omnes, qui otitiam librorum botanicorum tradiderunt, con-

o) in elegantiſſima Diſſertatione citata *de MSS. iae Bibliothecae Berolinenſis medicis*, ubi de ſplenidiſſimo huius libri exemplo, quo gloriatur haec bliotheca, ex inſtituto agit.

consentiunt scriptores. p) Verum enim vero, hanc operam nunquam sibi totam vindicare poterit BESLERVS, quamquam ceterum sua laude defraudandus non est. Equidem in dubium vocare non possum, vocatum esse ab Episcopo BESLERVM, non solum ut coleret hortum suum ornaretque, verum etiam opus hoc componeret, at vero hunc etiam parum viribus suis confisum suasorem exstitisse illi, ut CAROLVS CLVSIVS, Botanicorum sua aetate facile

p) Vid. ex. gr. LINNAEVS *Biblioth. Bot. p. m.* (edit. Amstelod. 1736. 8.) *23. et 82.* aliique. Vnus dissentit ARTHVRVS CONR. ERNSTINGIVS, Med. Doct. et grauissimo quidem errore dissentit. Hic enim in *primis* suis *principiis botanicis*, Wolfenb. 1748. 8. edit. p. 242. scribit: Es ist dieses Werk schon von MICH. RVPERT. BESLERO angefangen, aber wegen frühzeitigen Todes nicht vollendet worden, daß es also liegen bleiben müssen, bis es BASIL. BESLERVS herausgegeben. Quomodo vero MICH. RVPERTVS BESLERVS, rerum alias naturalium indagator solertissimus, sed nostri BASILII ex fratre nepos, ante eum viuere et scribere potuerit, ego quidem videre non possum, utque mihi soluat Problema ERNSTINGIVS, rogito, publiceque inuito.

facile princeps in auxilium vocaretur, concedent alii. Abnuente vero preces CLVSIO, LVDOVICVM IVNGERMANNVM, *Lipsiensem*, eo tempore vitam priuatam Giessae degentem, et adhuc iuuenem, sed postea in Altorfinam Academiam ad ornandum cathedram medicam vocatum, Botanicum excellentissimum et aeternum Lipsiae suae et meae decus, ad se vocauit BESLERVS, et in domo sua sustentauit, ubi factum, ut intra sexennium opus hoc, auctore vero IVNGERMANNO, absolueretur. q)

De artifice, qui tabulas confecit aeneas plantasque eis concinne et apte insculpsit, WOLGANGO KILIANO, vix est quod addam, cum opera eius dudum omnibus laudi-

q) Probant hoc satis firmis rationibus FREHERVS in *Theatro Viror. illustr.* BAIERVS in *Biograph. Profess. Med. Altorfinor.* Probant autem et rationes aliae, quas apud Clariss. MOEHSENIVM videre licet. Vitam vero BASIL. BESLERI exhibet LOCHNERVS in praefat. ad *rariora Musei Besleriani.*

laudibus aeſtimata fuerint digna, iſque cum fratre LAZARO KILIANO, Germaniae calcographorum vera ſint ornamenta. Quid vero praeſtiterit IOANNES LEYPOLT, cuius nomen in titulorum quatuor partium tabulis, una cum KILIANI legitur nomine, ego vix affirmare audeo. [r)]

Reſtant adhuc quaedam dicenda de Operis huius noſtri editione, an ſcilicet plures eius ſint, quam haec, quam indicauimus. Sunt quidam, qui iteratis vicibus librum noſtrum prodiiſſe credunt et firmiter affirmant. MERCKLINVS in *Lindenio renouato*, et ab hoc ſeductus ERNSTINGIVS in *primis principiis botanicis*, opus hoc noſtrum A. MDCXL. ſecundis curis editum fuiſſe, ſumma fide ſcribunt. [s)] Sed cum nullam

r) De vita KILIANORVM expoſuit docte ſatis IOACHIMVS DE SANDRART, in Academia picturae, ſed, quem in hoc opus conſumſit laborem WOLFGANGVS, ſicco plane praeteriit pede.

s) Huc etiam pertinet FREYTAGIVS, qui *l. c. p. 469.* ſecunda ſcribit editio, eundem titulum

nullam uſpiam, de hoc anno editionem, omni data opera, inuenire potuerim, nec Clariſſ. etiam MOEHSENIVS reperire ullibi potuerit, utique eum ad non entia referendam eſſe iudico. Sit forſan, quod M. R.

eundemque annum cum BESLERI nomine refert, „dedicatione prima ad IOANNEM CHRISTOPHORVM, eius ſucceſſorem, ſubſtituta. Cumque „eruditi in deſcriptionibus et ſinceritatem et eruditionem botanicam deſiderarent, integer textus „una cum praefationibus ad eum ſe referentibus „ab ipſo BESLERO reprobatus et omiſſus eſt, „priuilegiis Galliae Regis, Archiducis in Belgio „Hiſpanico ac Ordinum Confoederatorum eius „in locum collocatis. Hanc editionem cum tertia „ſequutus eſt CAROLVS BERTTIVS a. 1640. „in eo tamen erga BESLERVM ingratus, quod „eius ne verbulo quidem mentionem fecerit, neque effigiem eius recoluerit, licet IOANNIS „CONRADI imaginem reſtituerit, addito Epiſcopo „MARQVARDO, cui hoc opus dicauit. Caeterum reſecta claſſe hibernali, ad tres reliquas „omnia retulit, indice cuiuis praemiſſo. *Haec* „e *Catalogo Bibliothecae Rinkianae, p. 780.* referimus.„ Sed, quod pace Viri Clar. dixerim, ſeductus ille eſt, et relata refert. Quum enim ſecundam nominat editionem, orbatam textu, ea ipſa illa erit, quam ſupra nota m) notaui. De tertia autem anno 1640. edita, mox plura proferam.

Beslervs, qui augere voluit et denuo publici iuris facere hunc hortum, nouum adornare curauerit titulum, et error hinc iste enatus fuerit. Vix etiam ac ne vix quidem consentire videtur sana ratio, saltem probabile non est, tam splendidum atque sumtuosum opus iterum prodiisse, cum publici ad id praestandum requirantur sumtus, et priuati hominis, nisi ditissimi vix ac ne vix quidem sufficiant, unde etiam alius, quem commisit Mercklinvs, facile refutari potest, error, propriis scilicet Besleri sumtibus, opus hoc prodiisse. Idem de alia adhuc editione, quam 1727. Eystadii lucem vidisse laudatus Baiervs in historia horti Academici Altorfini asserit, putandum esse existimo, cum nullibi eiusdem fiat mentio, nec ab ullo, quotquot etiam sciscitaui, visa sit viris doctis rerumque botanicarum et librorum ad illas pertinentium amatoribus. Plura qui de splendido hoc opere scire auet, adeat *Acta Eruditorum A. 1684.*

A. 1684. p. 159. seqq. De usu atque pretio *horti* huius *Eystettensis*, vix verba faciam, cum ex asse iam eruditorum votis satisfecerit Cl. MOEHSENIVS. Sed de exemplaribus eius nonnullis, in quibus coloribus insuper figurae plantarum ad viuum pictae, apparent, addere quaedam aequum est.

Exstat autem eiusdem exemplar in *Regia Bibliotheca Berolinensi*, quod vehementer laudat et accurate describit, saepe laudatus, nunquam laudandus satis *Berolinensium Podalirius* MOEHSENIVS. Exstat etiam eiusmodi in *Bibliotheca publica Norimbergensi*, et denique quoque eiusmodi pariter viuis coloribus eleganter illuminatum seruatur in *Bibliotheca publica Magnifici amplissimique Senatus Lipsiensis.* De hoc ultimo ANTONIVS WEIZ, in seiner Beschreibung der Raths-Bibliotheck zu Leipzig, inter alia scribit: Unter allen ist zu consideriren das unvergleichliche Werck, Hortus Eystettensis. Es ist solches ein Buch in groß Folio, in

 rothen



rothen Saffian gebunden, und verguldet auf dem Schnitt, so aus vielen Kräutern und Blumen, in Kupfer gestochen, bestehet. Diese Kupferstiche hat ein vornehmes Frauenzimmer dieser Stadt aufs künstlichste nach dem Leben gemahlet, so daß sich ein jeder Kenner nicht genug daran delectiren kann.

Fuit autem *haec*, cuius artifex manus vitam dedit iconibus, ipsius beati Aui mei materni, GODOFREDI GRAEVII, Consulis olim Lipsiensis grauissimi, Batauorumque illius IOANNIS GEORGII fratris germani, ex tribus uxoribus media coniux, *cuius* memoriam renouare hic atque posteritati conseruare iustum putaui. Posuit vero ipse GRAEVIVS, quo colophonem narrationi huic imponam, sequens *illi* monumentum:

QVOD





QVOD FLORVM PLANTARVMQVE CORPVS
SVMMO PRAESVLE EYSTADIENSIVM AVCTORE
BESLERI PRVDENS INDVSTRIA DEFORMAVIT
EI VITAM QVAE ADHVC DEESSE VIDEBATVR
COLORVM SPLENDOREM ADDENDO
VENVLARVM QVOQVE RAMVLOS ET PVNCTA
MINVTVLA ACCVRATISSIME DESIGNANDO
ASPIRARE COEPIT
INGENIO MANVQVE ARTIFICE
NON MINVS QVAM VIRTVTE AC PIETATE
PRAESTANTISSIMA FOEMINA
DOROTHEA MAGDALENA BRVMMERIA
GODOFREDI GRAEVII VXOR DESIDERATISS.
SED OPERI INTENTAM MORS OCCVPAVIT
IDQVE INCHOATVM RELINQVERE COEGIT
CVIVS INCEPTI TAM NOBILIS
NE INTERIRET MEMORIA
EIVS MONIMENTVM MERITO HVC
P.
MARITVS MOESTISS.
A. S. MDCXCI.





II

Der ſchwangern Frawen und Hebammen Roſengarte.

Liber rariſſimus forma quadripartita, auctore, ut ex epiſtola dedicatoria patet, EVCHARIO ROESLIN, Med. Doctore, *Auguſtae Vindelicorum* An. 1532. prodiit, duodecim explet plagulas et variis figuris ligno inciſis ornatus eſt. Titulum iam indicatum et figura ornatum excipit ſtatim epiſtola ad *Celſiſſimam Sereniſſimamque Principem* CATHARINAM, Ducem Brunſuicenſem et Luneburgenſem, nuncupatoria, in qua, quod ad docendam obſtetricibus artem obſtetriciam, vocauerit ſe, gratias *illi* agit, deque inſtituto ſuo ubertim exponit, et *eius* contra obtrectatores implorat tutelam, quare ita, quod adduxiſſe iuuabit, concludit: Iſt deshalben an E. F. G. mein undertheniggſt Bitt, E. F. G. wolle dieſes Buch, d' ſchwangern Frawen Roſen-

ſen-

ſengarten gnannt, von mir gnedigklichen empfahen, und in E. G. Fürſtenthumb vnd andern teutſchen Landen, den erſamen züchtigen ſchwangern Frawen vnd Hebammen austheilen, bin ich vngezweyfleter Hofnung, ſy werdent darinn gnügſam Bericht finden, wie ſie ſich in allen Dingen halten ſollen. Vnd ob E. F. G. merers Berichts, der in dieſem Buch nicht begriffen, zu wiſſen begerte, dieweyl ſich nit alle Ding zu ſchreyben gepürt, will ich E. F. G. aus gehorſamer underthäniger pflicht, müntlichen Bericht zu geben, gantz willich ſeyn, vnd hie mit will ich mich in E. F. G. ſchutz vnd ſchirm, wieder die Klaffer vnderthänigklichenn bevolhenn haben. Datum zu Wurms, auff den zwaintzigſten Tag des Monats Hornung, im Jar, als man zalt vonn der Gepurt Chriſti, tauſent fünfhundert und dreyzehn Jar. Sequitur nunc auctoris ad grauidas et obſtetrices admonitio carmine germanico exarata, et dein praefatio, in qua breuiter ſtrictimque

 expo-

exponit, praeſentem ſuum libellum ex clariſſimorum medicorum ſcriptis eſſe collectum, quidue in eo praeſtiterit. Hanc excipit elenchus capitum totius libelli, quorum ſunt duodecim, et dein tractatio ipſa, finem vero facit index nominum herbarum latino-germanicus, quarum in ipſo libello fit mentio, et in calce eius haec leguntur verba: Getruckt und vollendet in der Kayſerlichen ſtatt Augſpurg durch Haynrich Stayner am XIII. Mart. im M. D. vnd XXXII. Jar.

Quod libro huic ſtatuendum ſit pretium qualemque habeat uſum, diiudicare haud audeo; iudicent lectores, quibus omnem capitum ſyllabum et primum ipſius tractationis caput, ipſis auctoris verbis proponere liceat. Haec vero ſic ſe habent:

Jnhalt der Capitel diß Büchleins.

Das erſt Capitel ſagt, wie das Kind raſt vnd ruwet im mutter layb, vnd wie mit vil felin es vmbgeben iſt oder vmbgewyckelet.

Das

Das andre Capitel sagt von der Zeit der Gepurt, vnd wölliche Gepurt natürlich, oder wieder die natur sey.

Das drit Capitel sagt, wölliche Gepurt hart oder ring sey, vnd wie man sie erkennen sol.

Das vierdt Capitel sagt, wie sich die Fraw vor vnd in der Gepurt halten sol, vnd wie man ir in harter Gepurt zu hülffe kommen soll.

Das fünfft Capitel sagt, in sonder Arzney vnd stück, die die Gepurt fürdern ring und leycht machen.

Das sechßt Capitel sagt, wie man das büschelin das ist secundinam von einer Fraw bringen sol, ob es nit selbs keme.

Das siebent Capitel sagt von mancherley Zufellen, so den Frawen in vnd nach der Gepurt kommen vnd zufallen, vnd wie man dieselben Zufel der Frawen wenden sol.



Sit

Sit ergo nunc ſpeciminis loco caput primum:

Das erſt Capitel ſagt, wie das Kind raſtet und ruwet inn mutterlayb, vnd mit wie viel fellin es vmbgeben vnd verwicklet ſey.

Das Kind ynn mutterlayb enthalt ſich alſo, Sein angeſicht iſt geſenckt vnd genaigt gar nahe auf ſein knyelein, vnd liegent jm ſein Hend auf ſeinen Knülin, vnnd ſeine Augen gegen den Knülin, vnd iſt eingekrückt vnnd gebogen als ein ſiwelkugel, vnd iſt ſein angeſicht vnnd das vorderthayl ſeines laybes gekert gegen der Mutter rücken.

Item, das Kind ynn mutterlayb iſt verborgen, oder verwicklet mit drey felin, das erſt felin beſchleuſt vnnd vmbgiebt das Kyndlein vnnd die ander zway felin. Darumb das beſchirmpt werde die frucht von böſen vbrigen flüſſen der Frawen blümen ſo dann beleyben, nach dem vnd die fraw entfangen hat, die nit taugenlich oder nützlich ſeynnd, weder zu der fürung oder merung des kinds, ſondern

ſtande

ſtande dieſelben flüß der frawen blůmen zwiſchen der Bermuter vnd dem erſten felin bis zu der zeyt der Gepurt, denn zu derſelben zayt werden ſie hinweg gerainigt und ausgetryben mit der frucht vnd mit dem felin. Vnd dis erſt felin ist genannt zu latain Secundina, vnnd zu teutſch das Büſchlein oder nachgepurt, vnd iſt not, ſo die fraw des Kinds geneſen ſol, daß das felin auffprech, oder auffgethon werde, von der Hebammen, als hienach geſchrieben ſtatt.

Das andre felin iſt genannt biles, vmbgibt das Kind, von dem nabel hinab, bis vnnden hinaus, vnnd hat viel runtzeln vnd krumme renck odder Weg, gleich als ein gefaltet Klayd, inn dem der Haren, der ſchwayß, vnd ander ſcharpfe ding, ſo von dem Kind kommen, geſamlet, behalten vnnd beſchloſſen werden, bis zu der Zayt der gepurt, darumb daß die ſcherpfe des Harens vnd des ſchwayß nit ätze vnd ſeer mach das Kind, oder das erſt felin.

Denn

Denn dieweyl das Kind im mutterlayb ist, so harnet es nit zu seinen gemächtenn, sondern sein Haren fleußt durch ein äderlein von des Kindes nabel ynn das ander felin, von dem yezund gesaget ist.

Das dritt felin, das dem Kind allernechst anleyt, vnd es ganz vmbgiebt, vnd beschirmpt das Kind, vor der scherpfe seines Harens, so dann von ym auß dem nabel durch ein rör-lein oder aderlein fleußt in das ander felin. Auch beschirmpt das drit felin, als da spricht der große Albertus, wird genennt von den Hebammen zu latain Armatura conceptus, vnd zu teutsch schirm des Kinds, Avicenna nennt das felin abgas.

Sed haec adduxisse sufficiat, cum satis superque colligere inde possint lectores, quem sibi ex eius lectione polliceri queant usum. Verum quidem est, multa inibi inue-

inueniri, quae ſaeculi genium ſapiunt, ſed certum eſt, bona mixta eſſe malis. Laudandus inprimis eſt auctor, quod negligat ſic dicta inſtrumenta obſtetricia, ſolumque manuum commendet uſum, tanquam inſtrumentum optimum; manus enim nunquam nos fallere poterunt.

De Auctore conſulendi ſunt MERCKLINVS in *Lindenio ſuo renouato*, et KESTNERVS im medicinischen gelehrten Lexico, qui librum noſtrum etiam latino idiomate ſub titulo: *de partu hominis et parturientium atque infantum morbis, Pariſiis 1535. 8.* prodiiſſe teſtatur, quam vero editionem hucuſque nondum videre licuit.



III

Decreta aliquot medica, quae in disquisitionem publicam proponentur per D. Doctorem Henricvm Stromer, *ex hoc disputandi themate sumpta:* Vtrum ebrietas vino contracta, capitis, cerebri et neruorum, qui ab illo oriuntur, morbus: sit doloris item capitis, tremoris, apoplexiae, paralysis, comitialis morbi, conuulsionis, podagrae, chiragrae, anginae denique et senectutis et mortis praematurae caussa? *Respondente* Ioanne Pfeyl. *Medic. studioso.* Anno nat. Seruator. MDXXXI.

Iam olim *Specim. I. Bibliothecae libr. rar. hist. criticae p. 22.* et in *Noct. Guelph. p. 183.* scriptorum minorum academicorum indicaui raritatem eiusque causas, et exempli gratia eiusmodi quaedam cum beneuolis meis tunc communicaui lectoribus. Pertinet huc etiam praesens, cuius exhibui titulum, libellus, inuentu rarissimus, et ab Henrico Stromero, Medico olim Lipsiensi celeberrimo, in

in cathedra defensus, quem quidem, quod gratissima publice hic profiteor mente, debeo Viro Magnifico atque Experientissimo Dn. D. Christiano Stephano Scheffelio, in perantiqua Academia Gryphica Medico hodie Primario, quippe qui, pro suo in me fauore, beneuole me illo donauit. Explet autem ille in forma quadripartita plagulas binas, vel sedecim paginas, quo vero exhibita sit die, nullibi indicatur. Initium facit Praesidis et auctoris, Henrici Stromeri, ad Lectorem praefatio, qua instituti rationem reddit, cur potissimum agat de ebrietate, omnium vitiorum teterrimo spurcissimoque. Sequuntur dein decem et nouem decreta, quibus, quae titulus indicat, ab ebrietate prouenientia explicantur incommoda; His accedunt, ut copiosius sit disputandi argumentum, decreta sex ab instituto aliena. Ex his memoratu digna mihi maxime visa sunt, ut et nostri aeui medicis quibusdam

in

in aurem dicantur *primum* et *tertium.* *Illud* ſic ſe habet: *Impoſtores ſunt circumforanei illi, qui profitentes artem medicam, quam nunquam didicere, in omnibus hominibus, in omni ſexu, in omni temperatura, utuntur indiſcriminatim iiſdem medicinis: tanquam communem hominem et generalem, et non particularem curarent, quod eſt extremae dementiae.* *Hoc* autem, *tertium* illi ſibi dictum putando, qui corpus ſolummodo humanum medicinae obiectum eſſe arbitrantur, animamque e foro medico prorſus faciunt exulem. *Doctus*, inquit, *Medicus curat ita corpus, ut neutiquam animum negligat. Medici enim munus eſt, animi mores fingere, quippe iracundia, fletus, ira, triſtitia, cura immodica, et multae ſuper his vigiliae, febres accendunt, ac grauiſſimis valetudinibus initia praebent et ſubminiſtrant. Veluti e diuerſo, cogitationis mentiſque ſegnities, animique ignauia deſidiaque decoloratos et ob nutriendi inopiam et defectum, macie et ſqualore quo-*

 dam

dam efficiunt horridos, naturalisque caloris gignunt imbecillitatem. Siquidem calorem naturalem fouere opportuit: fouetur autem medicis cum corporis tum animi exercitiis.

Post haec decreta, decem leguntur problemata, quae itidem contra impugnantes tanquam vera, defensa sunt, ratioque eorum reddita, e. gr. 2) *Quid causae sit, quod carnes, plenae lunae per noctem expositae, facilius putrescant?* 5) *Quare pueri, statim ut ex matris utero in lucem prodierint, plorare incipiant?* et sic plura.

Finem tandem libelli duo carmina latina faciunt, quorum alterum *Bacchi querela*, alterum *Medici purgatio*, inscriptum est.

De ipsius HENRICI STROMERI, et IO. PFEILII, qui postero die quoque artem medicam Lipsiae docuit, non est quod in praesenti addam vita, muneribus et scriptis, cum in *vitis Professorum Medicorum Lipsiensium*, quae alio tempore prodibunt, uberius de iis dicendi dabitur occasio. Conferantur tamen,

men, si placet, in praesenti MELCH. ADAMI in *vitis Medicor. p. 10. et 40.* MERCKLINVS in *Lindenio renouato p. 403. et 658.* KESTNER. im Gel. *Lexico p. 647. et 817.* aliique plures.



IV

FRANCISCI FRIZIMELICAE, Patricii Patauini, Medicinae in Lyceo patrio quondam Professoris clarissimi, *de Balneis metallicis artificio parandis*, liber postumus, noui argumenti, e bibliotheca IOANNIS RHODII. *Patauii* primum, nunc autem impressus *Norimbergae*, impensis IOANN. ZIEGERI, Bibliopolae. MDCLXXIX.
3. plag. in 8.

Maxime dignus est FRIZIMELICAE libellus, qui in memoriam reuocetur. Cum enim a doctissimis et de re medica litteraria optime meritis viris, HERM. CONRINGIO, THEOPH. STOLLIO, et CHRIST.

GVIL. KESTNERO omissus, nec ab ALBERTO HALLERO in opere Boerhaauiano, *Methodo* nempe *studii medici emaculata et aucta*, memoratus fuerit, nullum mihi dubium est, quin rarioribus libris accenseri mereatur. Non solum vero ad rariores, sed etiam ad eiusmodi libros pertinet, qui nouum et singulare argumentum pertractant. Quamobrem, ut locus ipsi in hisce speciminibus primarius concedatur, necesse est. Et haec quoque caussa fuit, cur RHODIVS illius exemplar manuscriptum e scriniis suis produxerit, et ut typis mandaretur, curauerit. Opusculum namque, quamuis mole paruum, pondere tamen maximum id esse, in praefatiuncula pronuntiat. Facta eius est impressio primum Patauii MDCLIX. per SEBASTIANVM ELPIDIVM, cui exemplar suum e Dania transmisit RHODIVS. Non multum quidem abfuisset, quin ista intercepta fuerit, cum sub ipso eius opere extremo

dio

die fata sua clauserit RHODIVS, prout ex dedicatione typographi ad IO. POMPILIVM SCOTVM, Medicinae in Lyceo Patauino Professorem, videre licet. Attamen, ne FRIZIMELICAE deperiret memoria, nec RHODII tanta non explicaretur intentio, incoeptum perfectum est.

Haud ingratum quibusdam fore censeo, si et potiora, quae in minori hocce opusculo continentur momenta ipsis indicem, et deinde quaedam de auctoris vita, muneribus atque scriptis adiiciam; cum fortassis pauci sint, qui harum rerum habeant notitiam.

Quod igitur ipsum primo opusculum attinet, omnia, quae in isto proferuntur, XIV capitibus inclusa esse, hisque et dedicationem typographi Patauini, et RHODII praefatiunculam, et seriem capitum praemitti, sciendum est. Ipsius autem tractationis initium facit breue auctoris *prooemium*, in quo is enarrat, quod ab aliquo iamiam

 tem-

tempore balnea metallica artificialia parauerit, et loco naturalium usurpauerit; quale nunc artificium nonnullis amicis dictare vellet, quo iuuenes (sc. Medici) imposterum sibi ipsis illa conficere possent.

Quemadmodum vero Frizimelica aquis metallicis naturalibus eximias in medendo vires tribuit; dum plurimis indicationibus simul adimplendis inseruiunt: ita idem de balneis metallicis artificialibus adserere, haecque pro illorum succedaneis habere non dubitat, insimulque ideo potissimum valde necessaria ea esse existimat, quod naturales thermae in plerisque locis deficiant, et Medici aliis plerumque remediis earum loco tunc uti coacti sint.

Cap. I. p. 9. de *aquis metallicis in genere et de generatione ipsarum* edisserit Frizimelica. Odore maxime, sapore et tactu ab aliis aquis illas distingui, et ab ipsa terra, metalla continente (sub quibus quaeuis fossilia cum antiquis intelligit) suas qualitates

et

et ſubtiliores partes, ſtellarum et ſolis inprimis calore, accipere autumat: combuſtioni cinerum in terrae viſceribus cauſam, cur incaleſcant aquae et feruentes fiant, adſcribens.

Cap. II. p. 12. de *ſpeciebus aquarum metallicarum, et ſignis, quibus ſingula ſpecies cognoſcatur*, ipſi ſermo eſt. In ſimplices illas diſtinguit, quae unico tantum metallo impraegnatae ſunt; et in compoſitas, ex diuerſis metallorum generibus commixtas, ita tamen, ut ſemper unum metallum ceteris dominetur: quamuis prioribus perpetuo quoque ſulphuris quidpiam inhaereat. Ad priorem claſſem refert ferreas Calderianas Veronenſes; in aquis vero Aponitanis, ut et mortis aegrotorum et ſanctae Helenae balneis ſulphur, in balneis ſancti Petri alumen, et in luto ſancti Bartholomaei aſphaltum, principatum obtinere adſerit. De aureis argenteiſque aquis profitetur, quod ob nimiam acrimoniam nullius in medicina

 uſus

uſus ſint, imo et raro viſantur. Reliquarum vero metallicarum aquarum materiam, odore, ſapore, loco, per quem dilabuntur, et ſubſidentia, cognoſcendam eſſe cenſet.

His praelibatis ad ipſam rem propius deuenit, et *Cap. III. p. 14.* inquirit, *numquid poſſibile ſit artificio, naturalibus aquis metallicis ſimiles parare?* Quamuis hanc rem in dubium non vocet, fateri tamen cogitur, artis opus naturae opere ſemper quodam modo imperfectius eſſe, cum aquae artificiales nunquam pro potu, ſicuti naturales, ſed pro balneis tantum et ſtillicidiis uſurpari queant.

Cap. IV. p. 17. demonſtrat, *quod tutius interdum aquae metallicae arte paratae adminiſtrentur, quam a natura confectae;* cuius demonſtrationis cardo in eo vertitur, quod illae facilius commodiuſque parari in aëre puriori, quam qui in thermarum cubiculis communitur eſſe ſolet, adhiberi; et ſemper pro morbi tollendi neceſſitate conſtrui poſſint.

Cap.

Cap. V. p. 20. docet, *quo pacto hae aquae metallicae in genere parari debeant.* Tria in hoc opere potiſſimum aduertenda eſſe monet: nimirum aquam, quae puriſſima atque tenuiſſima ſit; metalla, quae optima ſint; et vim ignis, quae tanta ſit, ut aqua, cui metalla immiſceantur, ferueat, quo hic fundi, et virtus et partes eorum ſubtiles in ipſorum aquam recipi poſſint. Quod ſi vero metalla cum herbis permiſcere quis velit, illi ſuadet, ut has prius illis decoquat, et decocto deinde ſua metalla immiſceat.

Cap. VI. p. 22. oſtendit, *quomodo nunc primum aquae ſulphurae una cum herbis conficiendae ſint?* Herbas cum ſulphure coquendas, naturae morbi ſemper conuenientes eſſe, adfirmat, illasque calefacere et leuiter exſiccare autumat; hinc in frigidioribus aeque ac humidioribus malis, et his, qui ex reſolutione fiunt, aut eam coniunctam haber, maxime illas praedicat. Si vehemens aqua eſſe debet, ſulphur in quadrageſima aut quin-

quinquagesima parte ipsi admiscet; si vero mitissima, septuagesimam eius non nisi partem addit.

Cap. VII. p. 26. docet, *quo pacto aluminosae, salsae, et nitrosae aquae parandae sint.* De aluminosis adserit, quod siccent et roborent: quare in ulceribus, hydrope, nimio fluxu mensium, et fluore albo illas commendat, dummodo corpus antea exquisite purgatum fuerit. Hydropicos, et qui humida scabie, aliisque morbis humidis laborant, salsis aquis immergit. Nitrosis in relaxatis membris roborandis utitur.

Cap. VIII. p. 29. de *aquis* loquitur, *quae calcem et cinerem attinent;* hasque non nisi cum aliis mitioribus commixtas, ad exsiccandum, roborandum, resoluendum et calefaciendum, proponit.

Cap. IX. p. 31. de *bituminosis, et his, quae ex pice et asphalto fiunt,* agit. Ex hisce corporibus, ope cerae, lutum parat, hocque ad contracta membra adhibet.

Cap.

Cap. X. p. 34. modum demonſtrat, quo terreae, aereae, argenteae et aliae iſtius modi generis aquae in uſum trahantur. Diuerſus eſt hic modus a priori, ſiquidem non decoctione, ſed extinctione tantum in aqua metallorum dictorum ignitorum perfici debet.

Cap. XI. p. 36. balnea ex pluribus metallis compoſita conſiderat, et *ordinem, quo decoquenda iſta metalla ſint,* exponit.

Cap. XII. p. 38. diſquirit, *num in uſu balneorum artificialium ea, ſicuti in naturalibus, ſeruanda ſint,* et demonſtrat, 1) quod balnea artificiala mitiora ſint artificialibus; 2) quod omni tempore iis uti liceat; 3) quod tanta purgatio, ac in his, non praecedere debeat, 4) quod quiſpiam diutius in illis commorari poſſit; 5) quod etiam ſtillicidia diutius, per 1½. horam nimirum, uſurpari queant; et 6) quod debilitatis eiusmodi aquis actiuitas reddi poſſit.

Cap. XIII. p. 41. ediſſerit, *quanto tempore aquae artificiales ſeruari queant.* Diutius qui-

quidem has, quam naturales durare, attamen magis fortaſſe putreſcere poſſe, exiſtimat.

Cap. XIV. p. 42. fumoſa balnea conficienda docet, et duplicem modum, hanc rem peragendi, proponit, nimirum ut vel vapor humidus ab ipſa aqua ad membrum deriuetur, vel ſiccus vapor ex ſilicibus ignitis et in aquam immerſis excitetur. Diuerſam utrique naturam et qualitatem tribuit, ac poſteriorem pro acriori, quam priorem habet.

Haec ſunt potiora, quae in opuſculo hocce continentur, momenta. Vt vero promiſſo ſatisfaciam, quaedam adhuc de ipſo auctore, multis forſitan ignoto, mihi dicenda ſunt. De vita atque muneribus eiuſdem nonnulla habent GEORG. ABR. MERCKLINVS in *Linden. renou. p. 286.* CHR. GVIL. KESTNERVS im medic. Gel. *Lexic. p. 318.* et Cel. CHRIST. THEOPH. IOECHERVS im allgemeinen Gelehrten-*Lexico,*

P. II.

P. II. p. 767. In nomine eius ſcribendo diuerſitas quaedam obſeruatur, ita, ut a quibuſdam loco litterae z, modo c, modo ſ, modo g ponatur. Natus erat FRIGIMELICA, prouti IOECHERVS e. c. illum nominat, Patauii MCCCCLXXXXI. et medicinam theoreticam ibidem docuit. IVLIVS III. Pontifex Romanus illum deinde Romam, valetudinis tuendae gratia, ad ſe vocauit; ſed regreſſus eſt in academiam patriam, mortuo IVLIO MDLV, ubi ipſe tandem MDLIX. vitam cum morte mutauit. Quod ſolam aquam potauerit; dolorem colicum ſaepe paſſus ſit; et aliquando hoc grauiſſime afflictus, ano calculum, oui gallinacei magnitudine, excreuerit, apud HIERON. CAPIVACCIVM inuenio, *Med. Pract. Lib. III. Cap. XIII. p.* 601. ALEXANDER MASSARIVS eum praeceptorem habuit, quem nunquam ſatis laudandum dicit. Extolluntur quoque eius laudes a LVDOV. ARRIVABENO in *Syluio ocreato*, qui IAC. SYLVII

Opp.

Opp. Coloniae 1630. impressis insertus est; et a PROSP. MANDOSIO in *Theatr. Archiatr. Pontif.* quod Romae 1696. prodiit, *p.* 73.

Praeter memoratum opusculum FRIZIMELICA Tractatum quoque conscripsit de *morbo gallico*, et lucubratiunculam *aduersus defluuium pilorum*. LINDENIVS quidem et MERCKLINVS *l. c.* eius mentionem faciunt, sed annum, quo impressus est, omittunt, unde nunquam ipsis visum esse auguror. Io. ASTRVC vero illum habet, tract. *de morb. vener. p. m.* 530. Sed dubium mihi est, an recte eum indicauerit, cum apud MART. LIPPENIVM in *Bibl. real. med.* alium reperiam. Iuxta priorem enim a. 1558. iuxta hunc vero a. 1564. prodiit 4. Eius frater, ANTONIVS, duos quoque, quos reliquit tractatus, publici iuris fecit, unum de *utilitate viperarum*, et alterum de *peste Patauina*. Neutrum inuenio apud MERCKLINVM, et me ipsum latet, quo anno euulgati sint.

V

V

Vopisci Fortvnati Plempii, Amſtelredamenſis, Artium et Medicinae Doctoris atque in Academia Louanienſi Practicen primo loco profitentis, *Ophthalmographia*, ſiue *Tractatio de Oculo.* Editio tertia, recognita et aucta. Cui praeter alia acceſſere Gerardi Gvtischovii Animaduerſiones in Ophthalmographiam, ad easque reſponſio. *Louanii*, typis ac ſumtibus Hieronymi Nempaei, anno M.DC.LIX. Cum gratia et priuilegio. Pagg. 299. abſque indice, in folio.

Cum plures, tres nempe, vel ut alii volunt, quatuor huius libri proſtent editiones, neceſſe eſt, ut noſtram, quae a Merklino, Kestnero et Stollio omiſſa, ultima, omniumque perfectiſſima eſt, commendemus. Differt enim in eo a reliquis, quod quinto non tantum libro, ubi curationes affectuum ocularium tractantur, ſed inſuper etiam

GERARDI GVTISCHOVII, Mathematices, Anatomices, Chirurgices et Botanices in Academia Louanienſi Profeſſoris animaduerſionibus, cum autoris ad illas reſponſionibus, aucta ſit. Compoſuit hoc opus PLEMPIVS anno aetatis ſuae vigeſimo octauo, uti ipſe dicit *pag. 281.* et celeberrimos tunc temporis Opticos, KEPLERVM et SCHEINERVM penitus deuorauit et imbibit. Prima eius editio prodiit Amſtelodami 1632. in 4. ſecunda Louanii anno 1648. fol. et tertia, quae noſtra eſt, eodem loco et eadem forma 1659. fol. Inter primam quam indicaui et ſecundam, iuxta HALLERI mentem in *Herm. Boerhaauii meth. ſtudii med. pag. 456.* alia Louanienſis de anno 1638. ponenda eſſet, ſicque quatuor exiſterent editiones; verum cum noſtra, quae ultima eſt, in titulo tertia nominetur, anceps haereo an aliqua de anno 1638. reuera proſtet, HALLERVMque, ſua corrigendi omnia atque aliquid noui proferendi libido, non fefellerit.

In

In *quinque* autem libros *Ophthalmographia* diuiſa eſt. *Primus* p. 1. oculum externum atque internum deſcribit. *Secundus* p. 34. actionem oculi patefacit. *Tertius* p. 92. ſingularum oculi partium officium proponit. *Quartus* p. 121. problemata de oculis et viſione explicat, quorum 1) eſt: An viſus circa obiecta ſua fallatur; 2) Cur pluribus intentus minor ſit ad ſingula viſus; 3) An viſus laboret et defatigetur; 4) Quomodo viſus ab excellenti viſibili laedatur; 5) Quomodo colores medii viſum recreent; 6) An et quomodo ſonus vehementior viſui officiat; 7) An viſu fieri poſſit faſcinatio et contagio; 8) An viſus homini perfectiſſimus; 9) An viſus terram poſſit penetrare; 10) An, quibus praeſtantior odoratus, viſus ſit deterior; 11) Cur aquae potores viſu ſint acutiores; 12) Ad quantum ſpatium viſus ſe extendat; 13) Cur ambo oculi ſemper ſimul moueantur; 14) Quo modo duobus oculis res una non appareat gemi-



na; 15) An alterutro oculo ſurſum vel deorſum impulſo res ſimplex videatur geminari, ad latus autem preſſo non item; 16) Vnde fiat, ut res ſingularis binis oculis conſpectetur gemina; 17) An uno oculo poſſit videri res una geminata et multiplex; 18) Cur ebriis et vertigine detentis omnia circumferri videantur; 19) Cur ex intuitu longiore rei, quae circumagitur, vel alias celeriter mouetur, etiam alia non mota ſimiliter moueri videantur; 20) An et quomodo obiecto remoto quidpiam in viſu remaneat; 21) Vnde fiat, ut interdum fulgores et ſcintillationes in oculis percipiamus; 22) Vnde fiat, ut interdum muſcae, culices, et ſimilia id genus, oculis obuerſari videantur; 23) An et quomodo, quae intra oculum ſunt, videantur; 24) An et unde fiat, ut quibuſdam res perforatae, et quaſi feneſtratae aut diſſectae videantur; 25) An et quomodo noctu in denſis tenebris quidam videre poſſint; 26) Cur quorun-

dam

dam animalium oculi in tenebris colluceant; 27) Vnde factum, ut *Antipheron* ſuam ipſius imaginem ſeſe antegredi viderit; 28) Cur in politis corporibus noſtras rerumque imagines intueamur; 29) Quid per reflexionem in ſpeculo videatur, an ſpecies, an obiectum ipſum; 30) Cur in vulgaris ſpeculi repraeſentatione laeua cum dextris permutentur; 31) Quare connexum ſpeculum parua reddat, cauum magna, planum mediocria; 32) Cur in ſpeculo imbecillis fiat imaginis impreſſio; 33) Cur in uno ſpeculo imagines unius rei plures appareant; 34) Cur ſpecula aliqua oſtendant imaginem infectam alio colore, quam quo obiectum eſt praeditum; 35) Quae pars reddat imaginem, quam in aduerſo alterius oculo cernimus; 36) Quid et unde ſint radii, quos circum lucernae flammam videmus; 37) An ob viſus infirmitatem ſtellae ſcintillare videantur; 38) Cur lucida et alba procul poſita maiora appa-

 reant,



reant, minora prope; 39) Cur aliqui remota tantum videant, aliqui tantum propinqua, aliqui recte utraque; 40) Cur iis, qui remota distincte vident, propinqua confuse, perspicilla conuexa prosint; ii vero, qui confuse vident remota, distincte propinqua, concauis perspicillis iuuentur. 41) Cur obtuse videntes, ut videant acutius, palpebras contrahant; 42) Cur myopes communiter minusculas literas scribere soleant; 43) Cur lusciosis auersos curru vehi prosit; obsit vero, vehi aduersos; 44) An ab altero oculo tantum robustior et exquisitior perficiatur visio, quam ab utroque simul; 45) Cur collineantes et rectitudinem explorantes alterum oculum claudant; 46) An uno oculo distantia obiecti cognosci possit; 47) An et cur sinistro oculo aeque ac dextro videamus; 48) Cur oculus optime videat e tenebris; 49) Cur stellae interdiu e profundis puteis conspiciantur; 50) Cur ii, quibus sunt

oculi

oculi profundiores, acutius videant, quam quibus prominentiores; 51) Cur manu prae lucerna aut sole obiecta melius videre possimus; 52) Cur ex tenebris in lucem confestim transeuntes videre non possimus, et ne quidem ex lumine in tenebras; 53) Cur adspectui viciniora euidentius cernantur; 54) Cur visu valentes ac perspicaces obiecta proxime oculis admota improbe et confuse videant; 55) Cur visus ad multum propinqua aegrius respiciat, quam ad remotiora; 56) Cur directius visui opposita perfectius videantur, et quo obliquius, eo imperfectius; 57) An caesii oculi noctu sint perspicaciores, interdiu hebetiores, nigri contra; 58) Cur nonnullorum oculi noctu sint perspicaces, interdiu hebetiores; 59) An angustia pupillae faciat videri res minores; 60) Vnde fiat, ut obiecta quibusdam appareant inuersa; 61) An, si senex haberet oculum iuuenis, videret ut iuuenis; 62) An potentia visiua aquilae et bouis distinguantur

 specie;


ſpecie; 63) Cur, ſi quis in aëre nebuloſo degat, ſibi proximam nebulam non videat, diſtantem autem videat; 64) Cur in aqua ſimulacra maiora veris videantur; 65) Cur remus in aquam demiſſus flexus fractusue appareat; 66) Cur melius videamus nocte oculos iuxta terram deponentes, quam ſtantes erecti; 67) An per naſum cuiquam videre liceat; 68) An verum ſit augurium non timendi mortem in aegritudine, quamdiu oculorum pupillae imaginem reddunt; 69) Vtrum non detur regreſſus a coecitate ad viſum; 70) Num queat videri res non exiſtens; 71) An veteres uſi ſint perſpicillis; 72) An clauſis palpebris poſſimus dici videre; 73) Cur ſanguinis multa emiſſio viſum minuat; 74) Cur oculus, pars externa et nuda corporis noſtri, nunquam frigeat? *Quintus* tandem liber *pag. 197.* affectuum ocularium curationes continet. Sequuntur nunc *p. 247.* GER. GVTISCHOVII animaduerſiones in ophthalmographiam, ad eaſque PLEMPII reſponſio.

Plures

Plures praeterea PLEMPIVS noſter libros compoſuit, quorum catalogum exhibent MERKLINVS in *Lindem. renou. pag. 1048. 1049.* CHRIST. IO. LANGIVS in *Opp. pag. 44.* et CHR. GVIL. KESTNERVS im medic. Gel. Lexic. *pag. 664.* ſed LANGII index omnium locupletiſſimus eſt. Natus eſt Amſtelodami, a. 1604. et e grege proteſtantium reformatorum ad catholicorum caſtra eum in finem tranſiit, ut munus Profeſſoris in Louanienſi academia obtineret. Faſſus tamen eſt RIOLANO, quod ſtatim priora caſtra repetere vellet, ſimulac Hollandiae ordines in Lugdunenſem academiam illum vocarent. (GVID. PATIN. *Lettres Vol. III. pag. 622. 623.*) Voce et ſcripto contra HARVAEI inuentum de circulatione ſanguinis publice quidem et acriter teſtatus eſt; ſed, dum ei refutando incumbebat, ipſe demum refutatus et exploſus fuit, quum HARVAEI rationes probe examinando et viuos aliquot canes eum in finem


diſſecando, omnes veriſſimas compererit. Ita illum non pudet de ſe ipſo ſcribere *Fundam. medic. pag. 128.* Bruxellis obiit a. 1671. ſi STOLLIO fides eſt in der Anleitung zur Hiſtorie der mediciniſchen Gelahrheit *pag. 251.* de qua re ego non tantopere, ut KESTNERVS, dubito, ſiquidem PLEMPIVM *commentationem* ſuam de *Togatorum valetudine tuenda* a. *1670.* Bruxellis diuulgaſſe certum eſt; quare PLEMPIVS non ſolum circa annum 1650. ſed etiam circa a. 1670. adhuc reſpirauit.





VI

Martini Schoockii Tractatus de *Turffis*, ceu *cespitibus bituminosis:* quo multa, ab aliis hactenus aut neglecta, aut minus diligenter examinata, accuratius aliquanto excutiuntur. *Groeningae*, typis Io. Cöllenii, Bibliopolae et Typographi. 1658. 12. pagg. 256.

Quum nullum dubium ſit, quin eorum libri in monumentis hiſtoriae litterariae praecipue mereantur annotari, qui rem aliquam primum accuratius pertractare et examinare ſtuduerunt: hinc nullum quoque dubium eſt, quin iſtud, cuius titulum indicaui, opuſculum, hic iure ſibi locum vindicare poſſit. Quod enim primus Schoockivs glaciem hac in re frangere laborauerit, id ipſe in praefationis limine refert. Sed praeterea nullus forſitan erit, qui neget, quod iſtud ad rariora ſcripta pertineat. Duplici igitur ex cauſa dignum eſt,

est, ut in medium producatur, et potiora eius momenta recitentur. Omnis res XXXII capitibus comprehenditur, quorum contenta haec sunt: Cap. I. Merentur Turffae attentius examen: Summam admirationem viris magnis, iisque peregrinis, incusserunt, et inter κειμήλια ab iisdem seruari solent. pag. 1. Cap. II. Turffae non solum in quibusdam Belgii prouinciis, nominatim Brabantia, Zutphania, Frisia, Vltraiectina dioecesi, Transisalania, Groninga, Omlandia, Drentia; sed etiam in Anglia, quibusdam Galliae prouinciis et Germania; imo in Orcadibus inueniuntur, pag. 6. Cap. III. de locis specialibus magisque propriis, e quibus in Belgio Turffae eruuntur. De vocibus Belgicis *Vaenen*, *Broeck*, *Moer*, *Marsch*, *Goor*, *Donck*, et *Waese* variisque earundem compositis. p. 11. Cap. IV. Variae opiniones multorum, de Turffarum prima origine. pag. 20. Cap. V. Errores quorundam circa Turffarum primam

mam originem, propofitis variis affertionibus, notantur. p. 24. Cap. VI. Quid de Turffarum origine exiftimandum fit, variis affertionibus affirmatiuis explicatur. pag. 30. Cap. VII. De materia Turffarum, bitumine fcilicet ac fulphure. pag. 41. Cap. VIII. De aliis nonnullis ad Turffarum conftitutionem concurrentibus. Cur in iis natura bitumen cum fulphure conftrinxerit. Digreffio ad cornua Monocerotis. pag. 46. Cap. IX. De variis Turffarum diuifionibus atque differentiis. p. 51. Cap. X. De variis nominibus, quae in diuerfis linguis, tum Turffae in communi confideratae, tum etiam diuerfae illarum fpecies ferre folent. p. 55. Cap. XI. Variae rationes adferuntur, cur Turffae fiue bituminofae glebae tam multiplices differentias admittant. pag. 63. Cap. XII. De multis, quae fe offerunt, dum Turffae effodiuntur, fpeciatim de arboribus, quae ordinario inueniri folent. pag. 72. Cap. XIII. De aliis, quae praeter arbores inter fodiendum



Hicce

Hicce tractatus non nisi bis impressus fuit. Mea editio prima est, altera vero Groningae 1668. prodiit. An auctior nescio. Polyhistor et Polygraphus erat SCHOOCKIVS, ita ut ultra sexaginta libros varii argumenti numerare possis, quos composuerit. Catalogum physico-medicorum inuenies apud MERCKLINVM in *Linden. renou. pag. 791.* sed notes, quod omissorum ibi numerus, adductorum numerum superet. Desiderantur namque *eius Tract. de Cereuisia; de Harengis siue balecibus; Diss. XI. de anima belluarum; de Ecstasi; de lino; encomium fumi; encomium surditatis; de tulipis; de inedia s. medicamento uniuersali negatiuo; de ardente Vesuuio;* et fortassis plures, quorum notitia nondum ad me peruenit. Qui de eius vita atque dignitate aliqua scire cupiunt, adeant FREHERI *Theatr. Viror. erudit. clar. pag. 1552.* HENR. WITTE *Diar. Biograph.* REIMANNI *Histor. litterar. Germ. Tom. VI. pag. 450.* et STOLLII Historie der medicinischen Gelahrtheit, *pag. 891. 892. b.*

VII



VII

Diodori Euchyontis de *Polychymia* Libri quatuor. Anno M.D.LXVII. 8. pagg. 229.

Rariſſimum librum profero. Quis autem, fuerit Euchyon, quo tempore vixerit, an ita vere nominatus fuerit, ſicuti titulus indicat, an vero nomen fictum adſumſerit, haec omnia me prorſus fugiunt. t) Tam altum enim eſt de ipſo apud rei chemicae et alchemicae autores, eiuſque generis ſcriptorum col-

t) Vincentivs tamen Placcivs *Theatro Anonymorum et Pſeudonym.* ex ed. Fabricii; Hamb. 1708. *p. 263.* haec habet: Diodorvs Evchyon de *Polychymia.* -- Prodiit, illo nomine praefixo, verſio latina libri germanici, innominati auctoris, de aquis, oleis, ſalibus et lapide Philoſophorum, addita praefatione de chymicae artis praeſtantia et commendatione, Tiguri in 8. Fictitium hoc Evchyontis nomen eſſe, et ſub eo latere Gasparvm Wolfivm, Tigurinum Medicum, innuit Frisivs *Bibl. Geſner. p. 260.*



lectores silentium, ut frustra totidem libros, quot nancisci potui, eius causa euoluerim. Ex anonymi vero editoris praefatione, de ipso opusculo, nonnisi tantum referre licet, unicum eius exemplar, idque mendosissimum ad eius manus peruenisse, quod in insigne chemicorum commodum ideo typis mandare et quidem emendatum illustratumque consultum duxerit, quia EVCHYONTIS libri iam situ et squalore obduci, sordescere atque tineis corradi coeperint. Liber *primus* p. 1. *aquas* pertractat, *secundus* pag. 79. *olea*, et *tertius* p. 151. de *salibus* est. *Quartus* p. 182. est fragmentum *Fratris* HELIAE *de compositione lapidis philosophorum*, quod editori nonnisi ob argumenti similitudinem tribus prioribus adiicere visum est.

VIII

VIII

FORTVNII LICETI, Genuensis, Phil. Medici, olim Pisis, nunc in Patauino Lyceo philosophiam prima hora vespertina, primo loco Docentis, de *Animarum coextensione corpori Libri duo*, in quibus ex rei natura, consulto semper ARISTOTELE, ostenditur animam tum vegetalem, tum sentientem, tum rationalem, subdito sibi corpori toti coextendi, ac in omnibus eius particulis sigillatim suam essentiam habere undiquaque diffusam; nullamque animam in ulla viuentis corporis particula, quantumuis principe, veluti in suo domicilio, totam contineri: Quicquid cum PLATONE plerique passim opinentur. Ad Illustrissimum et Excellentissimum Gymnasiarcham ANTONIVM PRIOLVM. *Patauii*, apud PETR. BERTELLIVM. MDCXVI.

Superiorum permissu. pagg. 78.

sine indice. 4.

Fortvnivs Licetvs, Medicus et Philosophus Italus, patre Iosepho itidem Medico, natus erat *Rappalli*, [u] quae urbs est territorii Genuensis, anno, saeculi decimi sexti, septuagesimo septimo, eoque notandus adhuc magis, propterea quod, septimo mense adspexerit lucem, hincque partus sit septimestris. Literis operam dedit Bonnoniae, et posteaquam anno 1600. Genuae, diademate doctorali insignitus fuisset, primum Pisis, postea Patauii et Bonnoniae Philosophiam docuit, tandem vero Patauium redux, medicinam theoreticam cum laude professus est. In Philosophicis summi Aristotelis placita ad nauseam usque, pro more consueto, summa animi religione veneratus est. [w] Praeter philosophiam vero et medicinam, antiquitatum

u) Vid. C. W. Kestner im medic. Gel. Lex. *p. 475.* Niceron *Memoires Tom. XXVII. p. 373.*

w) Id quod patet ex libello eius *de pietate* Aristotelis *erga DEVM et homines;* Vtini 1645. 4.

tatum etiam ſtudium omni excoluit diligentia. Obiit LICETVS anno 1656. Patauii, cum octogeſimum attigiſſet aetatis ſuae annum, multaque ſcripſiſſet,[x] quae teſte Clar. VOGTIO;[y] FREYTAGIOque[z] pleraque maxima raritate conſpicua ſunt, in quem etiam cenſum, praeſens, quem offero, venit libellus, de *Animarum coextenſione corpori*, illuſtriſſimo ANTONIO PRIOLO, Equiti, Senatori, diui MARCI Procuratori, Ampliſſimoque Lycei Patauini

x) Horum ſcriptorum catalogum exhibet LOR. CRASSO *Elogii d'Huomini Letterati Tom. I. p. 288.* MERCKLINVS in *Lindenio renouato*, *p. 275. ſeq. Theſaur. Biblioth. Tom. II. p. 360. ſeq.* AVGVSTIN OLDOINVS in *Athenaeo Liguſtico*, *p. 181. ſeqq.* ipſeque LICETVS in *propriorum operum hiſtoria;* Pataui 1634. edita. Conf. NICERON *Tom. XXVII. p. 377.*

y) *Catal. libror. rar. hiſt. crit. p. m. 411.* rariſſima vero eſſe reſponſa eius de quaeſitis per epiſtolas diſces ex *Bibliotheca Hamburg. mixta*, (Hamb. vermiſchte Bibliothek) *Praef. Tom. I. p. 27.*

z) *Annalect. Litter. p. 534.*

uini Gymnasiarchae dicatus. Diuisus vero ille est in sectiones siue potius libros duos, quorum, post praefationem, in qua propositum, eiusque dignitas ordo et diuisio detegitur, *prior* ex rei natura et ex ARISTOTELE demonstrat, singulas animas subdito sibi corpori coextendi, non in una illius parte principe solum contineri. Hic liber quadraginta sex habet capita. In *posteriori* vero libro, qui octo absoluitur capitibus diluuntur omnes dubitationes, quaecunque propositis in superiori contemplatione reluctari posse videntur.

Vix ac ne vix quidem errare crediderim, si propter leue argumentum, leuioremque adhuc elaborationem, pretium suum amisisse libellum dixerim.





IX

Francisci Bonamici, Florentini. E primo loco Philoſophiam ordinariam in Almo Gymnaſio Piſano profitentis, de *Alimento Libri V.* ubi multae Medicorum ſententiae delibantur et cum Aristotele conferuntur. Complura etiam problemata in eodem argumento notantur, et quibuſdam ex graeca lectione priſtinus nitor reſtituitur; cum indice copioſo notandorum. Ad Illuſtriſſimum et Reuerendiſſ. Carolvm Antonivm Pvtevm, Archiepiſcopum Piſanum; *Florentiae*, apud Bartholomaevm Sermatellivm, Iuniorem, 1603. Superiorum permiſſu. 4. *pagg.* 759. non computatis Dedicatione, Praefatione ac Indicibus.

De hoc Clar. Vogtivs *Catal. Libr. rar.* *p. m.* 135. ſequentia profert. „Liber, *inquit*, „plurimae eruditionis ac multiuariae le-„ctionis; at ſumme rarus paueiſſimiſque

 „viſus.



„visus. Liber I. est de *Alimenti Essentia*; „Lib. II. de *Primis affectionibus alimenti et* „*excrementorum*; Lib. III. est de *Alimento* „*externo eiusque appetitu*; Lib. IV. de *For-* „*matione foetus*; Lib. V. de *Consequentibus* „*foetum*. Exemplar quod possidemus, re- „demptum ex Bibliotheca Heinsiana, Lugd. „Batau. 1683. habita, mutilatum quidem „est plagula prima; nihilo tamen secius in „deliciis habitum est ab eruditis. Testan- „tur hoc sequentia Codici nostro inscripta: „*Excellentissimo et Clariss. Viro*, D. ALBER- „TO KYPERO, *Med. Doctori ac Professori* „*Ordinario, Domino et Collegae coniunctissimo*, „IO. ANTONIDES VAN DER LINDEN „*dono mittit, si donari meretur Liber male* „*mulctatus et Capitis diminutionem passus a* „*Viro docto et publico, cum post quadriennii* „*usum aliquoties rogatus remittere cogeretur* „*commódatum, Lugd. Bat. die 23. Oct. 1653.* Hactenus VOGTIVS. Nostrum, quod scribenti ad manus est exemplar, accura-


tissime

tiſſime quoad titulum librorumque elenchum cum Vogtiano conuenit. Addidiſſe tamen quaedam adhuc, ad libri hiſtoriam ſpectantia, operae pretium erit. *Dedicatio*, quae ſtatim poſt titulum ſequitur, ad CAROLVM ANTONIVM PVTEVM, uti titulus innuit, data eſt. Hanc excipiunt cenſurae aliquot et Auctoris Praefatio. Dein Capitum, quae in hoc opere continentur, legitur Index. Habet vero Liber *primus* Cap. XLII. *ſecundus* XL. *tertius* LXI. *quartus* XLVI. et *quintus* XLVII. In fine autem haec leguntur verba: *Hactenus de alimento, ſiue de ea, quae de foris eſt, generatione, (ſic enim veteres hoc argumentum nominabant) affectionibus, conſequentibus, appetitu alimentoque, primo cum intra, tum extra uterum dictum eſt: ex quibus expedite quis colligere poſſit ea, quibus facultas alens conſiſtit, et eius eſſentiam comprehendere, quae non niſi ex relatione ad rem obiectam concipi et explicari poteſt. Itaque ob id de ali-*



mento differit ARISTOTELES, *leaque ita tractata, ut etiam si ad trutinam Lycaei reuocata sint, a qua medici libentissime discedunt, nihilominus nil contra artem fuisse constitutum, optime percipi valeat: quod certe maxime cauendum fuerat. Namque etsi cognitio physica per se ipsam expetitur, est tamen naturae et philosophi, qui naturam imitatur, etiam cognitione abuti, et eam referre ad usus humanos, quorum primus in animi compositione, secuudus in corporis salute versantur. Finis. Autor. in his nihil assertum esse vult, nisi quod sacrosancti canones approbarunt. cIↄ Iↄ CI. V. Non. Quint.* Sequitur Index rerum memorabilium, et in fine legitur: *Florentiae, apud* BARTHOLOMAEVM SERMATELLIVM, *Iuniorem. M. F. 1602.*

Quis auctor fuerit, ex libri inscriptione apparet, unde etiam cognosces, quo quidem vixerit tempore. Conf. MERCKLINI *Lindenius renouatus* pag. 282.



X

X

Hortorum Libri Triginta, Auctore BENEDICTO CVRTIO, Symphoriano, Equite in ecclesia Lugdunensi. In quibus continetur arborum historia, partim ex probatissimis quibusque autoribus, partim ex ipsius autoris obseruatione collecti. *Lugduni*, excudebat IO. TORNAESIVS, Typographus regius. MDLX. fol.

Opus nitidum est et exquisitae eruditionis ac summe rarum, in paucissimisque manibus, uti ex testimonio ANDR. CHR. ESCHENBACHII in dissert. de *consecratis Gentilium Lucis; Ienae 1686.* loquitur VOGTIVS *Catalog. Libr. rar. pag. 228.* Quod cum scribenti mihi ad manus sit, paulo uberius de eo exponere, meum esse puto. Explet autem illud pagg. 683. si dedicationem, indicem et praefationem exceperis. Dedicatum est opus eximium BENED. BVATIERIO, Canonico et Camerario Eccle-

siae

ſiae Collegiatae S. Pauli, ac Officiali Vicario, Illuſtr. et Reuerend. Cardinalis A TVRNONE Archiepiſcopi et Comitis Lugdunenſis. Poſt breuem hanc dedicationem ſtatim ſequitur index praecipuarum rerum, quae in libro hoc continentur, ſuccinctaque argumentorum ſinguli libri enarratio, quam excipit praefatio, in qua de cauſis, cur hanc arborum hiſtoriam ſcripſerit, ubertim exponit. Opus ipſum triginta abſoluitur libris, ſ. ſectionibus. Continet autem Liber I. *arborum commendationem, uſumque earum ad vitam humanam maxime neceſſarium.* Lib. II. oſtendit, *quanto olim in bonore arbores fuerint.* Lib. III. agit de *earum religione ac in ſacris uſu.* Lib. IV. *quae ſyluae, quae nemora, qui luci diis gentilibus dicati fuerint.* Lib. V. *quae genera arborum quibuſque Diis dicata fuerint ac eius dedicationis cauſa.* Lib. VI. *bortorum ſignificatio, tutela, ornatus, amoenitates.* Lib. VII. *arborum partes ac varii earum affectus et differen-*

ferentiae. Lib. VIII. *Syderum vis ac ventorum flatus et natura*. Lib. IX. *seminarium ac seminum varia genera*. Lib. X. *plantarum transmigratio*. Lib. XI. *insitiones ac earum varia tempora et diuersi modi*. Lib. XII. *arborum cultura*. Lib. XIII. *arborum morbi et vitia*. Lib. XIV. *morborum arborum medela*. Lib. XV. *arborum alimentum, cibus, conceptus et germinatio*. Lib. XVI. *fructuum collectio, condimentum et conseruatio*. Lib. XVII. *arborum materies quando et quae caedenda*. Lib. XVIII. *naues, e quibus lignis construantur; variarum item arborum usus*. Lib. XIX. *Arabia quas arbores ferat*. Lib. XX. *Indiae, Africae ac nonnullarum aliarum regionum arbores*. Lib. XXI. *arbores quaedam nostrates, ubi proueniant, ac earum vires*. Lib. XXII. *olea*. Lib. XXIII. *mala et pyra*. Lib. XXIV. *ficus*. Lib. XXV. *nuces*. Lib. XXVI. *arbores sylvestres et glandiferae*. Lib. XXVII. *piniferae*. Lib. XXVIII. *arbores in conuallibus et aquosis locis prouenientes*. Lib. XXIX. *arbores*

arbores sua sponte prouenientes, quae tamen inter domesticas annumerari debeant. Lib. XXX. *frutices.*

Vides igitur Curtianum opus, fontem et thesaurum esse multiuariae eruditionis, ex quo multi haurire possunt, ex quo riuuli prodire possunt dulcissimi. Hinc etiam est utique quod mireris, Virum, non medicum, hac pollere scientia. Fuit enim CVRTIVS ICtus suo aeuo celeberrimus. Stilus, quo in opere suo usus est, neque minus elegans est. Raritatem huius libri autem et inde cognoscere potes, quod nec LINNAEVS, nec SEQVIERIVS, scriptorum botanicorum diligentissimi collectores eius meminerint, HALLERVS vero in *Methodo studii Medici Boerhaauiana* obiter tantum eum et secundum duntaxat titulum, in *Addendis*, *p. 1037.* nominet. Habet tamen etiam MERKLINVS in *Lind. renou. p. 122.* et GESNERVS in *Biblioth. p. 112.* ubi et plura eius indicantur scripta.

XI

XI

BERNHARDI CONNOR, Med. D. e regia Societate Londinenſi, nec non e regali Medicorum Londinenſium Collegio, *Euangelium Medici:* ſeu Medicina myſtica, de ſuſpenſis naturae Legibus, ſiue de miraculis, reliquiſque εν τοις βιβλιοις memoratis, quae medici indagini ſubiici poſſunt; ubi perpenſis prius corporis natura, ſano et morboſo corporis humani ſtatu ſuper naturam, praecipue quae corpus humanum et animam ſpectant, iuxta Medicinae principia explicantur. *Londini* apud SAM. BRISCOEE, 1697. 8. pl. 19½. et recuſ. *Amſtelod.* 1699. 8. tertiumque *Ienae* 1706. 8.

Vid. VOGTII *Catal. Libr. rar. p. 213.* et ſatis copioſam de eo recenſionem in *Act. Erud. 1698. p. 355. ſeqq.* Dat autem in id potiſſimum operam auctor libelli, ut eos refellat, qui commemorata in ſacris literis miracula in dubium vocant, ea inprimis

ratione

ratione moti, quod mente concipere non queant modum, quo illa producta fuerint. Hinc suscepit demonstrare, non magis arduum esse conceptu, quomodo infinita summi Numinis potentia, miracula in homine praecipue operetur, quam quo repetit in dies neglecta naturae phoenomena. Cum autem multa etiam legantur in hoc libello paradoxa, quae neutiquam omni ex parte lectoribus fuerunt probata, non defuerunt, qui ad mali commatis scripta, eum retulerunt, quinimmo REIMMANNVS *philosophiae et theologiae portentosae* nomine eapropter insignire voluit. [a] At vero immerito id factum esse, ex Magnifici Sacrorum Goettingensium hodie Antistitis Theologique Primarii, IOANNIS WILHELMI FEVERLINI, patet testimonio, qui, *multa egregia*, inquit, *Connori Euangelium Medici et ad defendendam veritatem religionis Christianae, auctoritatemque* *Scri-*

a) Vid. EI. *Catal. Bibl. Theol. Tom. I. p. 1052.*

Scripturae S. aptissima continet, quamuis paradoxis erroribus non careat. Curs. Philos. Tab. XII. Neque minus benigne de eo iudicant THOMASIVS *Cautel. Part. II. Cap. VI. §. 3. pag. 52.* et *Iurisprud. iudic. Cap. X. pag. 116.* BVDDEVS *Instit. Theol. dogm. Lib. II. Cap. I. §. 30. pag. 232.* In fine subnexas legimus duas Auctoris epistolas, in quarum prima ad nobilem Virum D. EDVARDVM SVTHWELL, R. S. Socium scripta, suam de secretione animali sententiam dicit, reiectisque aliorum hypothesibus, affirmat, veram rationem, cur bilis, v. g. in hepate secernatur, non esse, quod similis sit pori et humoris figura, sed quia integrantes succi biliosi partes seu moleculae, ex peculiari suorum elementorum proportione, atque ex consimili textura et figura, sibi ipsis facilius uniri possunt, quam mole-

culis lymphae, urinae aut alterius liquoris ac proinde bilis per glandulofos acinos, quoniam per ipfos, primo poft foetus conceptionem in utero filtrari coepit, ad vitae terminum cribrari non defìnit, perinde ut per chartam bibulam oleo imbutam, fi eidem aqua cum oleo commixta affundatur, oleum tantum, non aqua, tranfmittitur.[b] In altera epiftola ad literatum quendam Cantabrigienfem data, fciagraphia exhibetur Oeconomiae animalis demonftratae, primum Oxonii A. 1695. deinde Londini, et tandem Cantabrigiae 1696.

Floruit vero BERNARDVS CONNOR, natione Anglus, feculo fuperiori potiffimum exeunte, et pofteaquam Germaniam, Italiam, Poloniam, Belgiumque peragraffet, Mal-

b) Hanc de fecretione animali fententiam, affenfu magni noftri IO. GOD. BERGERI aliquatenus fuiffe ftabilitam, inter eruditos conftat.

Malpighiique, Bellini, Redi et aliorum ibi gentium Medicorum celeberrimorum ſibi comparaſſet amicitiam, in aula etiam Poloniarum Regis IOANNIS SOBIESCI Varſaviae, a. 1694. aliquamdiu verſatus fuiſſet, Londini artem exercuit ſalutarem, et *Diſſertationes Medico-Phyſicas* de Anthris Lethiferis, noxiis exhalationibus, venenis ſubterraneis, montis Veſuuii incendio aliiſque ſtupendae naturae Phoenomenis Oxonii excuſas edidit, quas vero hucuſque nondum videre licuit. Praeterea de Regimine regni Poloniae; de principiis medicinae et fermentatione; de Oeconomia animali, uberiores promiſit Commentarios, qui an reapſe prodierint, anceps haeſito. Vid. KESTNERVS *Lexico Biograph. p. 213.*





XII

De Thermis Andreae Baccii, Elpidiani, ciuis Romani, apud Sixtvm Qvintvm Pontificem maximum, Medici, *Libri septem.* Opus locupletissimum, non solum Medicis necessarium, verum etiam studiosis variarum rerum Naturae perutile. In quo agitur *de uniuersa aquarum natura, deque earum differentiis omnibus, ac mistionibus cum terris, cum ignibus, cum metallis. De terrestris ignis natura* noua tractatio, *de fontibus, fluminibus, lacubus. De balneis totius orbis, et de methodo medendi per balnea.* Deque lauationum, simul atque exercitationum institutis in Thermis Romanorum. Demum ab ipso auctore recognitum, nouis historiis locupletatum, ac plus mille locis illustratum et auctum. Ad Sixtvm V. Pontificem Opt. Maximum. Cum Priuilegiis. MDLXXXVIII. *Venetiis* apud Felicem Valgrisivm. fol. pagg. 492.

En

En secundam Libri rarissimi editionem, qui primum ibidem Anno 1571. et dein iterum Romae 1622. apud IACOB. MASCARDVM, ultimo autem et recentissime Patauii 1711. eadem prodiit forma. [c] De tertia, Romana scil. editione egit iam VOGTIVS, *l. c. p.63.* et BVNEMANNVS, *l. c. pag. 67.* Clarissimusque ENGEL, *l. c. p. 12.* raritatemque eius declarauere. Nobis vero cum ex antiquis illis tribus, media ad manus sit editio, uberior eius enarratio merito suppeditanda est. Splendidum est opus eximiaque impressum charta, pro more eius aeui solito, multa rerum eruditione copiaque refertum et elegantis sermonis ornatum suauitate. Totus enim BACCIVS in eo occupatus est, ut, quae omni terrarum orbe celeberrimae feruntur, calidas aquas,

 siue

c) Vid. *Giornale de' Letterati d' Italia Tom. VIII. p. 77-120.* Ex quo simul libro apparet, IO. ALB. FABRICIVM errasse, quando in *Bibliogr. antiqu. p. 649.* postremam hanc editionem Venetiis 1712. Libro VIII. auctam prodiisse putauit.

ſiue ſulphuratas, ſiue dulces, ſiue aluminoſas, ſiue nitroſas, ſiue liquidas, ſiue coenoſas pertractet, ſingularumque utiliſſimis diſputationibus proſequatur qualitates, quae nimirum utilis ſit ſtomacho, quae neruis, quae paralyticis ac ſimili morbo ſolutis, quae merſione, quae potu, morborum, quibus opponuntur, abigant cauſas. Abſoluitur autem totum opus, uti ex titulo facile etiam eſt intellectu, Libris ſeptem, quorum ſingulorum argumenta haec ſunt. In *Libro primo*, qui eſt phyſicus, agitur de *natura et origine aquarum omnium in communi*, et continet Cap. XXX. In *Libro ſecundo*, qui eſt balnearius, continetur *tota ars balnearia* capitibus XXIII. In *tertio Libro*, qui eſt medicus, *methodus medendi omnibus aegritudinibus per balnea* capitibus VI. pertractatur. In *Libro quarto*, qui inſcribitur Thermenſis et XVI. abſoluitur Cap. *Hiſtoriae thermarum ſulphurearum* conſcribuntur. *Liber quintus* totidem


capitibus distinctus *aquarum mineralium* continet *historias.* In *Libro sexto* metallico, Cap. XXXI. *historiae ex metallis* describuntur, et in *Libro septimo* tandem Cap. XXXVI. agitur de *thermis Romanorum.* Statim post dedicationem, quae SIXTO V. Pontifici nuncupata est, sequitur ipsius Pontificis censura atque approbatio, unde colligimus opus hoc triginta annorum esse laborem. Ita enim beatissimus pater: *Motu proprio* etc. *Cum sicut accepimus dilectus filius* ANDREAS BACCIVS – – *ad communem Reipub. utilitatem operosissimis per triginta annos laboribus, nec non maximis suis sumptibus conflatum opus de Thermis et balneis totius orbis olim editum.* etc. Post haec legitur Index et dein tractatio ipsa.

Fuit ANDREAS BACCIVS, natu Elpidianus, Ciuis Romanus, ineunteque seculo XVI. floruit SIXTI V. laudati personae medicus, praeter laudatum opus de Ther-

mis, aliis Scriptis clarissimus. Ita enim ingenio, pedibus quasi, omnem fere terrarum peragrauit orbem, et quot unaquaeque tellus vina ferat, inuenit, quodque earum ex coeli terraeque, in qua nascuntur, regione saluti hominum siue utile, siue sit noxium, aperuit; deinde de *Venenis, et Antidotis*, (Romae 1586. 4.) postea de Tiberi libros tres vernacula sua lingua, ac de duodecim pretiosis lapillis, qui in Summi Sacerdotis veste sacra nitebant, librum edidit; quae eius opera cum ad transalpinas aliasque externas nationes commeassent, immortalem Italici nominis gloriam secum una attulerunt: nam apud eruditissimum quemque admirationem et plausus excitarunt. Docuit praeterea in Gymnasio Romano de varia rerum naturae historia, sed non eadem auditorum frequentia, aut fortuna, qua scripta eius legebantur. Verum illa ingenii vis, illud in scribendo acumen, illa eruditio, cum ad curanda aegrotorum corpora

pora ſe conferebat, ita ſe ipſo minor inueniebatur, ut non eundem diceres. Quamobrem nemo aegrotus, qui eum nouerat, opera eius utebatur; nemo erat, qui filium, aut cognatum, vel amicum, vel propinquum, quouis laborantem modo, illi committeret; quo fiebat, ut ſemper egeret, multoque aere alieno, unde ſe nunquam expedire poterat, obſtrictus teneretur.

Plura de EO leguntur in ERYTHRAEI *Pinacotheca p. m. 139*. PROSP. MANDOSII *Theatro Archiatrorum Maximorum Chriſtiani Orbis Pontificum* Rom. 1696. 4. qui liber hodie ipſe rarioribus annumerandus eſt, *pag. 20. ſeqq.* et KESTNERI *Lexic. biogr. pag. 69.*



XIII

De Naturali Vinorum Historia, de Vinis Italiae, et de conuiuiis Antiquorum Libri septem, ANDR. BACCII, Elpidiani, Medici atque Philosophi, Ciuis Romani. Accessit de factitiis atque cereuisiis deque Rheni, Galliae, Hispaniae et de totius Europae vinis, et de omni vinorum usu compendiaria Tractatio, ad Ampliss. S. R. E. Card. Ascanium Columnam. *Romae Anno 1596.* ex officina NIC. MVTII fol. pagg. 370.

Opus aeque ac proxime praecedens rarissimum, de quo *Merckwürd. der königlichen Bibliotheck in Dresden T. I. pag. 291. seqq.* FREYTAGIVSque *Analect. literar. p. 62. seqq.* legi merentur. CONRINGIVS *Introd.* in *uniu. art. med. Cap. XIII. §. 9.* cum laude de eo pronunciat, scribens: *Vini quidem virium optimum descriptionem nobis dedit* ANDR. BACCIVS. Conf. etiam KESTNERVS *Bibl. sel. med. pag. 723.* VOGTIVS *Catol. p. c.*

Te

Ter hoc opus intra triennium lucem aſpexiſſe, FREYTAGIVS auctor eſt, eamque ex his editionem, quam Romae 1597. prodiiſſe dicit, VOGTIOque et GOEZIO incognitam eſſe credit, producit in medium. Sed errauit forſan Vir clariſſimus, noſtramque 1596. editam et hanc ſuam pro binis habet, cum tamen una ſit eademque. Tertia autem vice prodiit *Francofurti*, 1607. uti VOGTIVS iam commemorauit. Vtrum in illa editione, cuius uberior recenſio in allegatis GOEZII Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothec zu Dreßden inuenitur, quaeque ſcribenti etiam ad manus eſt, de vinis Hiſpanicis agatur, an vero haec acceſſio in ſecunda, quam dicit, primum facta ſit editione, anceps haeret FREYTAGIVS. Sed, credat nobis, legitur iam hoc argumentum in noſtra et Dreſdenſi editione, ſiue ſit prima, ſiue eadem, quam FREYTAGIVS producit. Hoc eodem clariſſimo Viro teſte, quartus huius operis liber



ber de *veterum conuiuiis*, quo inter alia conuiuii DIDONIS Virgilianam explicat deſcriptionem, *Lib. I. Aeneid.* et HOMERVM etiam a VIRGILIO in deſcriptione conuiuii ſuperatum eſſe contendit BACCIVS, auctior poſtea et in Libros V. diſtinctus, editus eſt, hodie autem etiam recuſus legitur in *Theſauro Antiquitatum Graecarum Gronoviano Tom. IX. p. 21. ſeqq.*

Praeter ea meminit etiam FREYTAGIVS libri illius Bacciani, quem de Tiberi compoſuit, quemue ſupra in vita eius commemorauimus, raritate his binis, quos adduximus, haud inferiorem, cuius titulum totum, iuxta editionem ſecundam auctiorem, (prior enim prodibat Romae a. 1558) hic exhibemus: Del Tevere, di ANDREA BACCI, *Libri III.* ne quali ſi tratti della natura e bontà delle acque, e ſpecialmente del Tevere, del Nilo, del Po, etc. dell' uſo dell' acque, e dell bevere in freſco con nevi, con Ghiaccio, e con ſal nitro, delle inon-

inondazioni e de remediche gli Antichi Romani fecero, e che oggidi si posson fare. In Venezia per Aldo. 1576. 4.

Sed ad nostrum de *Vinis* redeamus opus. Facies eius haec est. Post nuncupatoriam epistolam ad Purpuratum virum ASCANIVM COLVMNAM, in qua in laudes vini generatim excurrit, primo loco IVLII IOSOLINI, Medici egregii in opus hoc legitur Panegyricon, quod sic se habet:

Sunt Moecenates, foueant qui arcana Mineruae,
Inclytae erunt artes, quae latuere diu.
En mundi thermas pertractat BACCIVS, *idem*
Vinorum Italiae differit historias.
Hinc veterum mensas referat, conuiuia lauta,
Ingenteis luxus, accubitusque toris.
Quas geminas celebrat sacra Exodus, inde recenset
Adiectis quas Rex possidet Aethiopum.
Occultat rerum causas, penetratque metalla,
Naturae ut pateant plurima facta palam.
Describit radio cunctarum exordia rerum
Dira venena docet, praebet et Antidota.
Quis non Ανδρειον *vocet hunc, Iasoline, virum, quem*
Tot natura ornat dotibus ingenii?
Magnus es o propriis virtutibus optime BACCI!
Sed tibi maior honos venit ab ASCANIO.

Sequitur



Sequitur nunc CLEMENTIS VIII. Pontificis Romani approbatio, Ordo Capitum, Index rerum et tandem libellus ipſe, qui ſeptem diſtinctus eſt libris omnique liberali doctrina ubertim abundat.



XIV.

SEBASTIANI BASSONIS, Doct. Medici, *Philoſophiae Naturalis aduerſus* ARISTOTELEM *Libri XII.* in quibus abſtruſa Veterum Phyſiologia reſtauratur, et ARISTOTELIS errores, ſolidis rationibus refelluntur. Cum Indice locupletiſſimo. Amicus PLATO, amicus SOCRATES, ſed magis amica veritas. *Amſterodami* apud LVC. ELZEVIRIVM 8. *pagg.* 631. non computatis paginis Indic. et Praef.

GOTTL. STOLLE in Anmerk. über HEVMANNI *Conſp. Reip. Lit. pag.* 975. et *Catalog.*

Catalog. Bibl. Sellian. Part. I. pag. 167. teſtibus prodiit etiam hic liber *Aureliae 1621. 8.* apud PETR. DE LA ROVIERE, uti commemorat FREYTAGIVS *Analect. pag. 76.* Cum vero ibidem Vir Clar. obiiciat VOGTIO errorem, quem opinione deceptum inquit, dum *pag. 75. Catal. libr. rar.* Auctorem hunc una cum ſcriptis ſuis ignotum fuiſſe tum MORHOFIO, tum CHR. THOMASIO ex teſtimonio S. R. HEVMANNI *Conſp. Hiſt. Lit. pag. 368.* edit. 1746. (qui hanc ideo etiam philoſophiam recenſet in *Act. Philoſ. Tom. III. p. 939. ſeqq.*) ſcribit: Ipſe committit errorem FREYTAGIVS, tum ab eodem STOLLIO ſeductus citat SERPILII Verzeichniß rarer Bücher I. St. p. 52. ibique huius editionis mentionem factam eſſe aſſerit, quod vero ego nullo modo inuenire potui. CHRIST. THOMASIVS *Oratt. p. 18.* ipſe ignorantiam ſuam fatetur, MORHOFIVS vero *Polyh. Philoſ. Lib. II. Part. II. Cap. XX. §. 2. p. 364. edit. nouiſſ.* diſertis verbis



bis mentionem eius fecit, ut recte memorat FREYTAGIVS, et *eodem* teste in *Catal. Bibl. Reimmannianae Part. II. p. 268.* alius MORHOFII adducitur locus, quo auctoris nostri mentio facta sit, quem vero FREYTAGIVS locum apud MORHOFIVM inuenire non potuit. In *Lexico Eruditor. Iocheriano* de BASSONE nostro dicitur, quod grauis Aristotelicae Philosophiae fuerit inimicus, Romaeque 1574. 4. ediderit Dissertatt. in Philosophiam naturalem aduersus ARISOTELEM.

Nobis nostri libri ad manus est editio Elzeuiriana, 1649. edita. MERCKLINVS in *Lindenio renouato*, *p.* 962. meminit etiam editionis Geneuensis 1621. 8. (forsan ea est, quam Aureliae editam supra indicauimus) hancque Geneuensem Elzeuiriana adhuc esse rariorem indicat Clar. BRVCKERVS *Histor. Crit. Philos. Tom. IV. pag.* 467.



XV

XV

MICHAELIS SCHENDI, R.C.S. Equ. VAN DER BECH, Philoſophiae et Medicinae Doct. *Empirica illuſtris* per ſeptem nobiliſſima euporiſta familiaria remedia, ad totidem grauiſſimos et frequentiores morbos profligandos. Addita eſt Auctoris Apologia aduerſus Maurocordati Syncophantias *par le Docteur* CONRADE DV SCHEBBEN, Editio altera, (ut quidem in titulo fingitur) prototypo Londinenſi longe elegantior ac emendatior. *Auguſtae Vindelicor.* apud MERZ et MAYER cum permiſſu Superiorum.

1723. 8.

Scriptum hoc, quod quatuor duntaxat abſoluitur plagulis, recenſet Clar. SCHELHORNIVS *Amoenitatt. Literar. Tom. II. pag. 358. ſeq.* ita de raritate iſtius diſſerens: „Haud ita pridem nonnemo peregrinus „per noſtras oras tranſiens, in vicinia prelo „ſubiecit libellum aliquem MICH. SCHEN-



„DI VAN DER BECK, cui praemiſſa eſt ſa-„tyra mordaciſſima in Maurocordatum „Wallachiae Principem. Is quinquaginta „circiter exemplaria typis exſcribi voluit, „eaque omnia ſecum in Hungaria forte aut „Tranſylvania diſſeminanda abſtulit, ut eius „curam vix paucula effugere potuerint.

Conf. VOGTIVS *loc. cit. pag. 698.*



XVI

Vitae illuſtrium Medicorum.

Librum hunc a CASP. PEVCERO confectum et *Argentorati* 1571. abſque auctoris nomine editum eſſe, tradunt quidem GESNERVS, ADAMI, LABBEVS aliique apud PLACCIVM *in Theatr. Anonym. p.312.* Sed merito dubitatur, an unquam ille prodierit, cum, quantum ego quidem ſciam, aliique iam meminerint, nemini doctorum virorum hactenus viſus fuerit. Hinc, niſi tota

de

de eo narratio fabula eſt, latitare eum alicubi manuſcriptum, credamus neceſſe eſt. Vid. KESTNERI *Bibl. Med. Select. pag. 30.* GROSCHVFIVS *in praef. de libris rar. pag. 17.*



XVII

PAVLI ZACCHIAE *de ſeruanda quiete in curandis morbis Libri III.*

Idem, quod de PEVCERI libro tulimus iudicium, etiam de hoc ZACCHIAE ſcripto ferendum erit. Etenim meminit quidem illius, editor quaeſtionum medico-legalium ſummi huius Pontificis Archiatri (eſt vero ſcribenti ad manus editio Francofurtenſis 1688. fol.) in praefatione, GEORGIVS FRANCVS, qui etiam ubertim de vita ZACCHIAE commentatus eſt; Meminit eius etiam MERCKLINVS in *Lindenio renou.* et KESTNERVS in *Lexico biographico*: At enim vero,

 cum



cum nullibi hactenus, libellum hunc vel videre, vel nancisci potuerim, quantum etiam operae in eo posuerim et diligentiae; quod idem etiam contigisse video illustri quondam PLATNERO, qui tamen nullis in coemendis libris, perpercit sumtibus, nec etiam Viris doctis, librorum cognitione gnaris, quos consului, quique Italiam peragrarunt, visus fuerit; annus etiam a nullo, eorum qui eius mentionem faciunt, additus fuerit: vel rarissime illum inveniri, librorumque Phoenicibus annumerari auguror; vel nunquam lucem vidisse credo. Quare etiam, omnes meos beneuolos lectores publice inuito humanissimeque rogito, si quis forsan sit, qui legerit vel viderit libellos hos ZACCHIAE, ut beneuole vel priuatim, vel publice de certitudine eorum me edoceat.



XVIII


XVIII

Mich. Villonovani *Syruporum ratio uniuerſa, ad* Galeni *cenſuram diligenter expolita. Cui poſt integram de concoctione diſceptationem, praeſcripta eſt vera purgandi methodus, cum expoſitione Aphoriſmi:* Concocta medicari. *Pariſiis*, 1537. 8.

Interdum etiam bonum dormitare Homervm, a nobiſque hominibus, errare non eſſe alienum, patet ex Clar. Vogtii, Viri doctiſſimi, *Catal. libr. rar.* Hic enim elegantiſſimus et eruditiſſimus librorum rariorum interpres p. m. 711. ſub larua Villonouani latitare Michaelem illum Servetvm aſſerit, tantaeque, ternis licet vicibus fuerit recuſus, (*Venetiis 1545. 8.* apud Valgrisivm, et *Lugd. 1546. 8.* apud Rovillivm) librum hunc raritatis eſſe affirmat, ut doctiſſimus *Vitae* Serveti Commentator, S. R. Moshemivs, (vid. *Hiſt.*



Serveti, *pag. 186.*) omni licet adhibita diligentia, particeps iſtius fieri non potuerit. Aſt, licet hac raritate ſua librum hunc defraudare haud auſim; in eo tamen errare videtur Vogtivs, quod Servetvm auctorem eius eſſe et nomen Villonovani aſſumſiſſe crediderit. Patet enim hoc ex Mercklini *Lind. renou. pag. 884.* ubi Mich. Villonovanvm, doctiſſimum Galeni Interpretem et Medicum excellentiſſimum, introducit, et ex Ivsti teſtimonio in *Chronol. Med. An. 1537.* vixiſſe eum affirmat, libri huius etiam, auctorem, ſub nomine eius vero meminit.



XIX

XIX

FRANCISCI HENRIQVEZ de VILLACORTA, Doctoris Medici, a cubiculo Regali PHILIPPI IV. et CAROLI II. Archiatri, *Opera Chirurgica omnia*, sub auspiciis Potentissimi Hispaniarum Regis CAROLI II. *Amstelod.* per IACOBVM PAVLI, 1673. 4.


Extare sub hoc titulo, SPINOZAE libros, *Philosophiam Scripturae Interpretem* et *tractatum theologico-politicum*, docet summe venerabilis Vir, Cel. CHRIST. AVG. HEVMANNVS, in Schediasm. de *Anonym. et Pseudonym. p. 100. seq.* indeque VOGTIVS *loc. cit. p. 710.* Quibus fidem dare fas est, cum mihimet ipsi ad manus liber non sit; an vero idem sit, quem MERCKLINVS in *Lindenio renou. p. 287.* producit, sed in fol. 1670. Lugduni prodiisse affirmat, anceps haereo.



XX

GEORGII VALLAE *Commentationes in* PLINII *Librum II. Venet.* 1502. 4.

Admodum rarum esse hunc librum, nec visum ipsi HARDVINO, indicat BAYLE in *Dict. Hist. Crit. Articulo G. Valla, not. A.* indeque testatur VOGTIVS, *pag. 695.*



XXI

In CAII PLINII SECVNDI Naturalis Historiae argutissimi Scriptoris *I. et II. Cap. Lib. XXX. Commentarius*, Naturalis quidem Magiae compendiariam rationem, plenam mysteriis, profundissimamque rerum secretissimarum contemplationem, naturam, potentiam, qualitatem, substantiam et virtutem, totiusque naturae cognitionem complectens. Cui praeterea adiecta est de *fascinationibus* disputatio ele-

gans

gans et erudita, ad cognoſcendosque naturae ſecretiores effectus, mire utilis et neceſſaria. Idem de *incantatione* et *adiuratione collique ſuſpenſione* Epiſtola incerti Auctoris, una cum IOANNIS TRITEMII, Abbatis Spancheymenſis, viri doctiſſimi, occultioriſque philoſophiae atque magicarum artium indagatoris ſolertiſſimi, in *Libros ſuos Steganographiae*, *Epiſtola apologetica &c.* Quibus difficultates Plinianae, praeſertim Magicae omnes explicantur et tolluntur, a quibuſdam authoribus ac monumentis vetuſtiſſimis, ſingulari diligentia excerpta. In Plinianae lectionis ſtudioſorum gratiam, nunc primum conſcripta et edita, cura et diligentia D. G. H. R. M. et M.

MDXLVIII. 4.

Libellus ſeptem conſtans plagulis, ſumma raritate conſpicuus, et forſan propter ſuam paruitatem non facile reperibilis, dignus tamen qui conſeruetur, cum omnis magiae

naturalis, quae olim inprimis maximae fuit auctoritatis, in eo exponatur ratio, et dicta Plinianae naturalis historiae capita ubertim satis illustrentur. Quisnam ille fuerit auctor siue editor, qui sub literis D. G. H. R. M. et M. latitare voluerit, indicare vix ac ne vix quidem audeo, cum nullibi de eo aliquid suspicari liceat. In libelli autem initio pro Magiae naturalis dignitate acriter pugnat, eamque tanquam absolutam Philosophiae naturalis consumationem perfectissimamque et summam laudat scientiam, distinguens tamen satis accurate inter eam, quam infamem, incantationibusque et carminibus nefariae curiositatis, arte concinnatam afformatamque excogitasse dicitur Zabulus; et inter eam, quam sapientissimus quisque festo excipit plausu, veneratur et colit, quae altior sanctiorque est philosophia, ex qua praesignis literarum defluit claritas, quamque ipse ALBERTVS Magnus, (quem magni facit auctor) comprobauit.

probauit. Et haec etiam eſt, de qua fuſius agit auctor noſter. In fine libri haec leguntur verba: *Vuirzeburgi per* IOHANNEM MYLIVM. *Cum priuilegio Caeſareae Maieſtatis.*



XXII

Libri duo de homine, primus de conſeruatione ſanitatis, ſecundus de cauſis in homine circa compoſitionem eius, per VGONEM RVGERIVM *et* DOMINICVM BERTOCHVM Regienſes. *Bononiae* 1474. fol.


Meminit libri huius rariſſimi aeque ac antiquiſſimi THEOPHILVS SINCERVS, ſiue, qui hoc ſub nomine latet, GEORGE JACOB SCHWINDEL, in ſeinen Nachrichten von lauter alten und raren Büchern, *Tom. I. Frf. 1731. 8. p. 109.* ex *Bibliotheca Anonymiana*, quae *Hagae Comit. 1728. 8.* prodiit. Sed, cum ipſum librum hactenus videre non licuit, cuiuſnam ille ſit farinae, indicare haud poſſum.

XXIII

XXIII

Plantes Orientales et Occidentales, au nombre de 320. repreſentees en 320 tres belles planches, parfaitement bien graveés par Bosse, Robert *et* Chatillon; *à Paris de l'imprimerie Roiale 1701.*
II. Voll. fol.

Vid. Theoph. Sinceri Nachr. *l. cit. p.* 113. ubi haec de raro hoc ac pretioſo ſatis libro leguntur verba: *Les planches de cet ouvrage, qui n'a jamais été rendu publie, ſont dans le Cabinet du Roi; il n'y en a eu qu'un tres petit nombre de tiré; et cet Exemplaire, qui eſt en grand papier, eſt de la derniere beauté et tres rare.*



XXIV

XXIV

OCELLI LVCANI *de uniuerſi natura* Libellus, LVDOVICO NOGAROLA, Com. Veronenſi interprete: XII. Ianuarii MDLVIII. Eiuſdem NOGAROLAE Epiſtola ſuper viris illuſtribus, genere Italis, qui graece ſcripſerunt. *Venetiis*, Io. GRYPHIVS excudebat MDLIX. 4.

Recenſet hanc OCELLI LVCANI editionem rarioribuſque adnumerat libris, citatus THEOPHILVS SINCERVS *loc. cit. Tom. II. p.* 72. *ſeq.* unde repetiiſſe verba eius iuuabit. In *Dedicatione* ad Virum Purpuratum Carporumque Principem RVDOLPHVM PIVM graecum OCELLI textum BASILIO ZANCHO *Bergomati*, viro graece et latine non mediocriter erudito acceptum refert NOGAROLA. Eſt vero hoc de *ortu uniuerſi* ſcriptorum Philoſophicorum omnium, quae in eruditorum verſantur manibus, primum, idque prima vice Pariſiis

1539.



1539. 4. prodiit graece, postea latine Lugduni 1541. et cum eiusdem LVD. NIGAROLAE versione atque notis tertium 1596. 8. apud CORNELINVM. Legitur vero etiam insertum in *Opusculis Mythol. Phys. et Eth.* quae iunctim prodiere *Amstelod. 1688. 8.* conf. *Act. Erud. Lips. An. 1688. pag. 477. seq.* Optime autem illud prodiit *Bononiae 1646.* et *Amst. 1661. c. Comment. et Paraphrasi* CAROLI EMAN. VIZZANII, 4. conf. MORHOFII *Polyh. Tom. II. Lib. I. Cap. II.* In id vero potissimum dat operam OCELLVS *mundum aeternum, ipsumque Deum esse naturam,* hinc antiquum recentioribus diebus recoctum propalat errorem. Sed cum argumenta eius, quibus in confirmanda hypothesi utitur, et sophistica sint et leuissimi momenti; merito in *Biblioth. Vniuers. Tom. VII, pag. 113.* hoc de eo legitur iudicium: *Il debite gravement de pitoyables raisonnemens, dont ni la materié, ni la forme n'est presque supportable.* Quamquam *Scaligeriana*

ligeriana non consentiunt, ubi *pag. 287.* OCELLVS LVCANVS, *Pythagoricien, est un bien joly livre. Nogarola, qui est un de nos parens, l'a tourné; ils sont pauvres maintenant.*

Post OCELLVM idem argumentum, scil. *aeternitatem mundi* exposuit PHILO, qui saepius nostri libello usus, sed accuratius rem persecutus est. Cur vero ὁ πάνυ CONRINGIVS, *Propolitic. Cap. XV.* OCELLI libros suppositios credat, vid. STOLLES Gel. Hist. p. 529. non video. Forsan eodem iure, quo in nefando illo scripto, quod *Pantheisticon* vocatur, in Sanctorum numerum ponitur OCELLVS, Salomonique aequiparatur. conf. Unschuld. Nachr. *An. 1720. pag. 284. seq.* Caeterum Seculi nostri decus illud quondam, Lipsiaeque suae, ubi natus, et Hamburgi, ubi docuit, aeternum ornamentum IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *Biblioth. Graec. Lib. II. Cap. XIII. pag. 497.* de OCELLO, nostro ita: „Libellus Περὶ τȣ͂ παντὸς Φύσιος etiam

„num



„num extat integer, quamquam non dorica „dialecto, quali primum scriptus ab „OCELLO fuerat; ut ex fragmentis a STO-„BAEO seruatis perspicue apparet; sed a „Grammatico aliquo, ut facilius intelliga-„tur, in κοινην dialectum transfusus. Pri-„mum Graece prodiit, *Paris. 1539. 4.* La-„tine vertit GVIL. CHRISTIANVS, „FRANCISCI I. Medicus, et Q. FLOREN-„TIS SEPTIMI pater, Lugduni deinde „graece cum versione sua et notis LVD. „NIGAROLA etc. 1559. 8. (in 4.) Fal-„litur NIGAROLA, qui se primum latine „OCELLVM dare credidit: sed non minus „fallitur GADDIVS, qui *Tom. II. pag. 128.* „affirmat, NIGAROLVM non sui, ipsius „sed GVIL. CHRISTIANI versioni, notas „suas adiunxisse. Ab illo tempore OCEL-„LVM cum versione et commentariis suis „edidit IOANNES BOSCIVS LONAEVS, „non ZONAEVS, uti male audit in LAB-„BEI *Biblioth. nouiss. MSC. pag. 114. Louanii*

1554.

„1554. 8. Prodiit etiam graece cum NOGAROLAE versione et variis lectionibus, „ex officina COMMELINI, 1596. 8. etc. „Argute de OCELLO, IACOBVS DVPORTVS *p. 384. Poemat.* canit:

„*Dum mundum aeternum putat, haud bene cernit* OCELLVS,
„*Vera* LVCANVS *denique luce caret.*



XXV

T. LVCRETII CARI *de rerum natura Libri sex nuper emendati*, 4. pagg. 107.

Est haec, uti FREYTAGIVS testatur, *Analect. Liter. Tom. I. p. 99.* omnium LVCRETII editionum *tertia*, ex iis autem, quas ALDVS exscribi curauit, prima, eaque non rarissima solum, verum etiam commendatissima, literis impressa romanis. Dicauit eam ALDVS MANVTIVS Carporum Principi ALBERTO PIO, ex qua nuncupa-

cupatoria epiſtola, pleraque repetita legas apud FREYTAGIVM *loc. cit.* Laudat in ea inprimis ALDVS, HIERONYMVM AVANCIVM Veronenſem, *virum latinae linguae et artium liberalium non mediocriter peritum, eiuſque, quem in corrigendo reſtituendoque* LVCRETIO *impendit, laborem, ſicque emendatum atque integrum eum in vulgum prodire* lectores credere iubet, *ut perpauca indigeat caſtigatione.* ALDI epiſtolam excipit ipſius HIERONYMI AVANCII ad VALERIVM SVPERCHIVM, Piſaurenſem, Medicinae Doctorem et Mathematum Profeſſorem, epiſtola, ſcripta *Kalend. Martii 1499.* ubi paribus officiis gratum ſe ac memorem erga ALDVM probat, *hominemque* eum dicit *latinis graeciſque literis eruditum earundemque mirifice cultorem et inſtauratorem.* In praefatione AVANCII ad lectorem, quae tertio loco inuenitur, ratio redditur, cur corruptiſſimum Poema Lucretianum, ſine antiquo exemplari emendare

dare et publicari ausus fuerit. Istam praefationem excipit, *Expositio eorum, quae singulis libris continentur*, et in fine codicis haec leguntur verba: HIER. AVANCII *Veronensis ingenio et labore, Venetiis accuratiss. apud* ALDVM *mense Decemb. M D.* (1500) *Non licet sic alteri cuiquam sine multa in Oris Venetis.* Conf. MICH. MATTAIRE *Annal. Typogr. Tom. I. p.* 713.



XXVI

TITVS LVCRETIVS CARVS de *rerum natura*; Fol.

Alia est LVCRETII nostri editio antiquissima pariter atque rarissima, in cuius fine legitur: T. LVCRETII CARI *Poetae Philosophique antiquissimi, de rerum primordia natura ad* MEMMIVM *Liber sextus et ultimus explicit foeliciter.* PAVLVS *hunc impressit* FRIDENPERGER *in* Verona, *qui*



genitus est in Patauia, (Passauii) Alae magnae, (Alemanniae.) *Ab incarnatione Christi 1486. die vicesimo octauo Septembris Calen. Octobris.* De qua vide THEOPH. SINCERVM *loc. cit. Tom. II. p. 86.* IO. ALB. FABRICII *Bibl. Lat. Lib. I. Cap. IV. p. 44. Tom. II. p. 59.* MICH. MATTAIRE *Annal. Typogr. Tom. I. p. 474.* IO. NIC. FVNCCII Tract. *de Adolescent. Lat. Lingu.* Marp. 1723. *Cap. III. §. XLIV. p. 165.* GOETZII Merkwürdigk. der Königl. Biblioth. zu Dreßden, *Tom. I. p. 331.* Quos vero fere omnes erroris accusat FREYTAGIVS *loc. cit.* propter ea quod sibi persuadeant, hanc ipsam iam editionem, AVANCII nostri supra laudati cura, lucem aspexisse.

Denique monendum est aliam adhuc extare LVCRETII editionem, neque minori raritate conspicuam, quae ex *aedibus* eiusdem ALDI et ANDREAE SOCERI *ad veterum exemplarium fidem castigata* prodiit *Venet. 1555. mense Ianuar. 8.* de qua vid.

MICH.

MICH. MATTAIRE *loc. cit. Tom. II. p. 270.* IO. ALB. FABRICIVM *Bibl. Lat. Tom. II. p. 59.* die Merkwürd. der Königl. Biblioth. in Dreßden, *l. c. p. 332.* et omnium optimam emendatissimamque esse eam, quam cum *interpretatione et notis* edidit THOMAS CREECH *Londini 1717. 8.* praestantissimam vero *Hauercampianam*, quae *Lugd. Bat. 1725. 4. II. Voll.* prodiit.

XXVII

PETRI DE CRESCENTIIS *Opus ruralium commodorum*, fol.

In calce haec leguntur verba: *Praesens opus ruralium commodorum* PETRI DE CRESCENTIIS, *hoc industrioso caracterisandi stilo ad cunctorum utilitatem omnipotentis Dei suffragio novissime impressum enim in domo* IOANNIS DE WESTFALIA. [d]) *Alma ac florentissima in uniuersitate Louaniensi.*

d) Qui imprimebat Louanii 1473. Vid. MATTAIRE *Annal. Typogr. Tom. I. p. 373.*

Et ſcriptores Oeconomicos, Phyſicos inter atque Medicos iure ſuo atque merito locum quendam occupare, nemo eſt, qui eat inficias. Hinc non eſt, quod mireris, ſi praeſens opuſculum libris meis rarioribus annumeratum vides. Compoſuit vero illud PETRVS DE CRESCENTIIS iuſſu regio, fratrique AYMERICO DE PLACENTIA, Ord. Fratrum Predicatorum generali Magiſtro, dedicauit, ad quem inter alia ſcribit: *Cum praeſentem librum* ruralium commodorum *ad Dei omnipotentis bonorem et Sereniſſimi regis Karoli delectationem, meique et caeterorum utilitatem incboaſſem et mediaſſem, multis et variis occupationibus impeditus diu perficere diſtuli. Verum a Veſtra nobili Sanctitate ut complerem rogatus, quod pro Dominico mandato libenter recepi, Iudiciorum et ciuilium occupationum ſtrepitu relicto, quibus non poteram ſic animum, uti operi expediebat, quietum babere ad ruris babitationem ſeptuagenarius me tranſtuli.*

Eſt

Eſt vero omne opus diuiſum in Capita XII. quorum agit I) de *locis habitabilibus eligendis*; II) de *plantis*; III) de *agris colendis*; IV) de *vitibus et vineis*; V) de *arboribus*; VI) de *hortis*; VII) de *pratis et nemoribus*; VIII) de *viridariis*; IX) de *animalibus*; X) de *diuerſis ingeniis capiendi animalia fera*; XI) de *regulis operationum ruris*; XII) de *iis*, *quae ſingulis menſibus ſunt in rure agenda*. Ita vero auctor noſter *Lib. I. Cap. I.* de ſe ipſo ſcribit: „Ego P. de „Crescentiis, ciuis Bononienſis, qui „tempus adoleſcentie in logica, medicina „et ſcientia naturali totum conſumſi et de„mum nobili ſcientie legum inſudaui pa„cifici ſtatus anxius. Poſt flendum ſciſma „egregie illius urbis que vero et ſibi pro„prio nomine *Bononia*, id eſt, *bona per* „*omnia*, in omnibus mundi climatibus di„cebatur. Cognoui quam commutata „unitate ac ſtatu pacifico in diſſenſionem. „Odium et liuorem non erat iuſtum ipſius

 „per-

„peruerſe diuiſionis immiſceri negociis. „Ideoque annis triginta, diuerſas prouincias „cum earum rectoribus circuiui ſubiectis „iuſtitiam libenter tribuens -- multoſque „libros antiquorum et nouorum pruden- „tum perlegi et diuerſas ac varias opera- „tiones colentium rura vidi. Demum ci- „uitate quodammodo diuina gratia refor- „mata taedio late circuitionis et leſe liber- „tatis affectus ad propria redii ac cernens, „quod omnium rerum ex quibus aliquid „acquiritur, nihil eſt agricultura melius, „nihil uberius -- ad cultum ruris mentem „animumque conuerti. --- Librum ru- „ralium commodorum inſcripti, quia de „commodis ruris tractat. etc.

Paginae in hoc literis Gothicis excuſo libro, non ſupra, ſed in calce folii conſpiciuntur; de qua conſuetudine b. LOESCHERVS *Stromat. pag. 286. Primus* ſcribit ALDVS *numeris paginas ſignauit, ab Anno quippe 1496. poſt illum Typographi nonnulli ad*

finem


finem paginae numeros posuerunt; sed Aldi consilium, qui superiorem oram eligerat praeualuit. In *Actis Erudit. Franc. XIV. Collect. pag. 88.* editio latina opusculi huius 1471. fol. et *ibid. Collect. X. pag. 705.* versio germanica 1493. fol. cum fig. recensetur. Illustr. ROHRIVS vero *Biblioth. Oeconom. comp. pag. 91.* editionis lat. *Argentorat. 1602. fol.* editae meminit, quae vero a nostra plane est diuersa. Plures adhuc producit FREYTAGIVS *Anal. Liter. pag. 278.* editiones. Ita enim *Basileensem* a. 1548. forma prima sub tit. *Tractatus de omnibus agriculturae partibus et de plantarum animaliumque natura et utilitate Lib. XII.* editam commemorat librisque suis annumerat rarioribus. Hinc antiquiores aliquot ex *Biblioth. Hulsianae Part. I. p. 10.* addit, scil. antiquissimam illam sine loco et anno, nostramque de qua supra egimus fusius, cuiusque etiam meminit MATTAIRE *loc. cit. Tom. I. pag. 338.* Haeque omnium, quas habemus,



ſunt antiquiſſimae. Conf. I. A. FABRICIVS *Bibl. Med. et inf. latin. Lib. III. pag. 1221.* Verſionis italicae VOGTIVS meminit, *loc. cit. pag. 222.* germanicae vero extant adhuc, praeter ſupra iam nominatam, binae; alia *Argentoratenſis*, *1518.* fol. a FABRICIO memorata, alia *Francofurtenſis*, *1538.* fol. apud SIGISMVND FEYERABEND, ſub tit. *New Feldt vnd Aeckerbücher.* etc. In eius, quae ex Biblioth. beati SCHWARZII *Acta Francica Coll. XIV.* commemorant, fine legitur: IOAN. SCHÜSLERVM ciuem Auguſtenſem eam impreſſiſſe. Vbi etiam in notis uberius de aetate et meritis PETRI DE CRESCENTIIS agitur. Cum enim nuncupata haec editio ſit CAROLO Siciliae Regi, hic vero Andegauienſis propaginis Patri ſuo CAROLO II. an. 1285. in regimine ſucceſſerit; aetas PETRI facile inde colligitur. ORLANDVS an. 1220. eum natum fuiſſe obiiſſeque 1300. refert, ex SIMLERI autem *Biblioth. p. 556.* Bononiae eum

Sena-

Senatorem fuiſſe diſcimus. Cumque in praefatione CRESCENTIVS, uti audiuimus, tradat, annos ſe 30. per prouincias diuerſas cum earum circumiuiſſe rectoribus etc. vix eſt dubium, quin hic auctor ad illuſtrandos veteres ſcriptores rei agrariae, quos ſaepius citat, nonnihil conferre poſſit. Apud SAVBERTVM *in Hiſt. Bibl. Norimb. p. 119.* liber hic vitioſe et obſcure ſcribitur: PETR. DE CRESCENT. *natal. comm. Lib. XII. Anno 1471.* Videatur etiam SINCERVS *loc. cit. Tom. II. p. 327. ſeqq.*



XXVIII



XXVIII

Chirurgia, oder die Hantwirkung der Wund-Arzney von IHERONIMO Brunschwig, Wund-Arzet der keyserlichen freyen stat straßburg, als er von vil herfarnden Arzten gelernet, auch durch syn Practica gebrücht hat. Mit figuren, in fol.

Cum iam olim *Libror. var. Bibliothecae meae Specim. I. p. 26.* de auctore huius libelli aliqua a me producta esse memini, non est quod longius hic in enarrandis *Brunswigii* nostri immorer meritis. Vnum vero est, quod tacere non possum. Clar. HALLERVS, hodie in ciuitate patria *Praetor urbanus*, cum in *Nouis Literariis Goettingensibus, 1752. p. 362.* libellum illum meum indicat, *Brunsuigium* meum vocat, HIER. SALERVM, et idem fecit in edita *Methodo studii Medici Boerhauiana, p. 171.* ubi addit natum illum fuisse Brunsuigae. Sed errasse hac in re Virum doctissimum, ex iis, quae supra *l. c.* protuli,

protuli, quilibet iam facile colligere poterit. Verum enim nostri nomen fuit, HIER. BRAVNSCHWEIG, natusque est *Argentorati.* Quod vero dicat eum HALLERVS, Salerum, famam HALLERI utique minuit. Si enim noster dicit, esse se des Geschlechts Salern, haec verba non gentem, ex qua prodiit, sed scholam, scilicet *Salernitanam*, in qua edoctus est, indicant.

Sed transeant haec, ad opusculum nostrum redeamus. Huius in calce leguntur verba: mit Gnaden und Hilff des almechtigen Gotz mir verluhen hast, das vollendet ist diß buch, das ich lang zit begert hab vß brüderlicher trw durch begierlicher lieb. Doch die zit vñ stund myner geschefft halb gekurzt, darumb bit ich euch gelerten und erfarnen mit hohen fließ solchs vff zu nemen im besten von mir, wan ich begeren byn die leer von noch witterer zu erfaren vnd vornemen, vnd diß Werck han ich nit geoffenbaret mir zu gewin od' nuz, sunder den menschen

zu

zu nuz vnd hilff die sie notturff werden, auch miner selen zu trost vnd zu erlosen vor den der vns Got alweg vnd ewich vor behüt. Vnd dorch Johannes Gruniger gedruck vnd volendt zu straſburgk vf zistag nach sant peter vnd Pauls dag. anno dni. M.CCC.XCVII. (1397. lege 1497.) Die kurze Vorrede fängt der Autor also an:

O ir iungen angonden meister vnd knecht der scherer vnd wundarzet, nempt war vnd merkent vff mit fließ dis allercleinste buchlin, daß ich Jheronimus Brunschwig bürtig von Straßburgk, des geschlechtz von saulern, mit fliß vnd erst zu samen bracht hab. von vil gelerten und gutten meistern. ꝛc.

Caeterum in VII. Capita opus hoc ab auctore diuisum vidimus. Hincque agitur I. von eines Chirurgi Sitten und Wesen; II. et III. von Wunden; IV. von schlahen, stossen ꝛc. V. von Beinbrüchen; VI. von Verrenkung der Glieder; VII. von Antidotario und Recepten machen.

Praeter

Praeter multas alias editiones, quae de hoc libro prodierunt reiteratae, notanda venit inprimis ea, quae hoc ipso etiam anno 1497. *Augustae Vindelicor.* per HANS SCHOENSPERGER lucem vidit eadem forma. Aliaque, quae, uti ex calce videmus, prodiit apud GRVNIGER vff den Palmabent in dem Jar MD vñ XIII.

(1513.)



XXIX

GASPARIS TALIACOTII, Bononiensis, Philosophi et Medici Praeclarissimi; Theoricam et Anatomen in Gymnasio Bononiensi publice profitentis, *de Curtorum Chirurgia per insitionem Libri duo*, in quibus ea omnia, quae ad huius Chirurgiae, narium scilicet, aurium ac labiorum per insitionem restaurandorum cùm Theoricen, tum Practicen pertinere videbantur, clarissima methodo cumulatissime declarantur. *Additis cutis traducis instru-*



instrumentorum omnium atque deligationum iconibus et tabulis. Cum indice quadruplici expeditiſſimo, capitum ſingulorum, authorum, controuerſiarum, rerum denique et verborum memorabilium. Cum priuilegiis ſummi Pontificis, Caeſareae Maieſtatis, Chriſtianiſſimi Galliae Regis, Regis Hiſpaniarum, Senatus Veneti et aliorum Principum. *Venetiis* MDXCVII. apud GASPAREM BINDONVM iuniorem. fol. Liber I. 94. Liber II. 95. pagg. non computatis praef. et indic. cum figg. tabb. XXII.

Ecce! o Lector, opus rariſſimum, idque non inuentu ſolum, verum et ob argumentum, circa quod verſatur, rariſſimum! Opus eleganti et egregia doctrina abundantiſſimum digniſſimumque, ut, ſentiente ita GABRIEL NAVDAEO *in diſſ. de inſtruenda Bibliotheca, pag. 92.* inprimis in Bibliothecis inueniatur virorum doctorum et prae aliis comparetur.

Vtrum-

Vtrumque igitur et argumentum et opuſculum paulo conſiderandum eſt curatius.

Primum igitur, *argumentum*, quod attinet, haud defuerunt, qui TALIACOTIVM veteratorem habuerunt, omniaque, quae ab eo propoſita ſunt, commentitia et iactandi ingenii cauſa ſcripta eſſe putarunt, e quorum numero IO. ANDR. A CRVCE primo nominandus loco venit, qui in *Chirurg. Tom. II. Lib. II. Cap. III. pag. 82.* hoc aſſerit. Cui ANDR. OTTOM. GOELICKE *Hiſtor. Chir. pag. 119.* etiam adſtipulatur, et HEISTERVS in *Chirurg. germ. p. m. 604.* aſſentire videtur. Quo minus autem cum his ſentiamus, vetant praeſtantiſſimorum omnique fide digniſſimorum ſcriptorum teſtimonia. Teſte enim IO. BAPTISTA CORTESIO in *Miſcell. med. Dec. III. pag. 83.* artem hanc TALIACOTIVS accepit, a medicis Turpienſibus ex Boiana Familia natis, in qua, ut olim medicina in familia Aſclepiadarum, haec ars

ars a quodam PETRO BOIANO inuenta fuisse dicitur. Et ipse TALIACOTIVS artem hanc se non inuenisse, sed a medicis quibusdam in Calabria accepisse, fatetur in praefatione, et acriter contra eos pugnat, qui artem hanc vanam esse, sibi aliisque persuadent. *Lib. I. Cap. XVII. p. 44.* Adducit praeterea auctores plures, qui de eius veritate, ante tempora, quibus ille scripsit, grauia dederunt testimonia, ALEXAND. BENEDICTVM, *Lib. V. Cap. XIX.* ANDR. VESALIVM, *Lib. III. Cap. XIX.* AMBR. PARAEVM, [e] GOVRMELENVM, SCHENCKIVM,

e) Hic enim Regis Galliarum Chirurgus Primarius, *Opp. Chirurg. Frf. 1594. fol. ed. Lib. XXII. Cap. II. pag. 650.* hunc in modum scribit: Extitit superioribus annis in Italia Chirurgus, qui resectae portionis nasi reparandae hanc rationem inierat. Nasi mutili callosa labra circumcidebat, quomodo in implendis rostris leporinis fieri solet. Inde lacunam nouacula tam magnam in bicipite brachii musculo excauabat, quantum amputatae nasi portionis amplitudo exigere videbatur. In eam mox nasum, qua parte mutilus erat, demergebat, capite ad bra-

CKIVM, *Cap. XIX. pag. 49.* Imo rem experimentis a se factis confirmat *Lib. I. Cap. XXIII. pag. 69.* Et iam in epistola, quam ad

I 2 HIERO-

chium tanquam ad palum, sic tam reuincto et colligato, ut immotum est, stabilem nullam in partem flecti posset. Quadragesima inde demum die, quo scilicet tempore peractam carnis brachii cum naso agglutinationem suspicabatur, tantum eius pro deperdita nasi portione circumcidebat, quantum ipsi reparandae satis esse putabat. Id informe postea quasi lambendo parabat, complanabat, et ad reliquam nasi aequalitatem, quantum ars patitur, reducebat. Aegrum interea panatella, carnibus expressis, omnibusque deglutitu, coctu et distributu facillimis nutriebat. Medicamentis autem haud aliis tantum sissarcoseos perficiebat opus, quam balsaminis quibusdam liquoribus agglutinantibus. Minor natu familiae a S. THOANO nasi argentei et probrosi, quem multos per annos circumferebat, pertaesus, ad Chirurgum illum in Italiam perrexit, et artis commemoratae industria nasum recuperauit, magna omnium, qui ipsum ante nouerant, admiratione. Possibile id quidem opus est, sed arduae omnino plenum difficultatis, tum patienti aegro, tum agenti Chirurgo: vel hoc nomine, quod carnis, quae e brachio reponitur, temperies longe differt a carnis



HIERONYMVM dedit MERCVRIALEM, quaeque in huius de *Decoratione* libro *Cap. XVIII. in edit. Frf.* A. MDLXXXVII. impressa legitur, is plures viros nobiles nominat, quibus a se nares restitutas fuisse asseuerat.

Atque

nasi temperie, et quod restituti nasi foramina, qualia ante erant, excauari nequeunt. Hactenus PARAEVS.

Quamquam autem ille hic non quidem nominet, quisnam ille sit Chirurgus Italus, qui artem hanc calluit; DANIELEM SENNERTVM tamen si euoluamus, *Institut. Med. Lib. V. Part. I. Sect. II. Cap. XIV. p. m. 970.* TALIACOTIVM nostrum fuisse facile videmus. Hic enim „nostra, inquit, aetate „non solum prolixe et accurate hac de re „scripsit CASPAR TALIACOTIVS, Bononiensis, sed et ipso opere specimen huius „rei edidit, sicut id testatur AMBROSIVS „PARAEVS, *Lib. XXII. Cap. II.* — — — Verum cum ista artificiosa et valde miranda „operatio per compendium integre et clare „explicari non possit: ad TALIACOTII „librum de *Curtorum Chirurgia per insitionem*, „lectores remittimus, in quo non omnia solum ad hanc rem necessaria diligenter et „accurate explicantur, sed et iconibus, sine „quibus alias haec doctrina haud facile percipitur, omnia satis superque illustrantur.

Atque non solum ANTONIVS MOLINETTVS *Dissert. Anat. Pathol. Lib. IV. C. XII.* f) sed etiam THOMAS FIENVS in *Chirurg. Lib. XII. Cap. I.* g) GVIL. FABRICIVS HILDANVS *Cent. III. Obs. XXXI. pag. 214.* et in Epistola ad IO. GRIFFONIVM, in

f) Vbi se anno MDCXXV. *nares* a parente Nobili Polono *elegantissime resarcitas* vidisse affirmat. Conf. HENR. MOINICHEN. *Obseruatt. Med. c.* M. LYSERI *cultro anat. edit. Obs. XXIII. pag. 212.*

g) Ego ipse, inquit, testari possum, CASP. TALIACOTIVM, Profess. Bononiensem, plurimos hac arte nares restituisse, quorum ego aliquos in aliquibus restauratos vidi, alios actu fabricari. Itaque IO. ANDR. CRVCII maximi alias Chirurgi, negantis factum, non est audienda autoritas, nec attendenda, utpote qui illam nesciebat. Et potius assentiendum est aliis autoribus. etc. Hincque citat id asseuerantes GVILBERTVM, *Cognatum* NOSERONVM, cuius inprimis testimonio, Branca Siculus, Chirurgus maxime insignis, nares, aures, labiaque curta sic restituisse fertur, quosque iam supra in medium produxi, ALEX. BENEDICTVM, VESALIVM, FALLOPIVM, HIER. MERCVRIALEM, et alios.

Ep. Cent. Ep. XXII. quem propter hanc curationem puellae feliciter adhibitam laudat, teſtantur, tales ſe homines vidiſſe, quibus nares ſartae fuerint reſtitutaeque. Plura de hac operatione arteque tradunt G. F. DE FRANCKENAV *Diſſ. med. de reſtitutione in integrum Satyr. Med. pag. 501.* SALZMANNVS *Diſſ de Chirurgia Curtorum Argent. 1712.* REAVMVRIVS, in *Hiſt. Acad. Reg. Sc. MDCCXIX. pag. 36.* IOAN. BAPT. DU BOIS, *Quaeſt. med. An curtae nares ex brachio reficiendae? Pariſ. 1742.* IO. ZACH. PLATNERI, *Inſtitut. Chirurg.* §. *593.* PAVLVS ZACH. *Quaeſt. Medico-legal. Lib. V. Tit. III. Qu. III. p. m. 451. ſeq.* C. W. KESTNER *Hiſt. Med. Liter. Stolliana p. 837.* nonnullique alii, ex quorum numero eminet inprimis Celeb. WAGENSEILIVS. Hic enim in *Exercitt. argum. var. Exerc. II. p. 65.* ſcribit: „Primus, ni fallor, hunc medendi modum inducit GASPAR TALIACOTIVS, „Medicus Bononienſis circa finem prioris „ſeculi,

„ſeculi, cuius non tantum amplum librum „de *noua curtorum Chirurgia per inſitionem*, „aeneis figuris omnem operandi modum „repraeſentantem, ſed et *ſtatuam*, *dextra* „*naſum tenentem* in Theatro Anatomico „Bononienſi vidiſſe me memini, *atque hanc* „*ſtatuam ob naſos reſtitutos ei poſitam eſſe* „narrabant, qui me introduxere. Enim- „uero, cum arbor aliqua, et alia etiam „heterogenea, rami viui inſitionem patia- „tur, utique conſimili ratione, viua caro „vultus, cum viua carne brachii, ſiue „proprii, ſiue alieni coaleſcere quoque „poteſt. At illud mihi nemo perſuadebit, „cum naſus ex peregrino exſcinditur bra- „chio, tum eo, cuius brachium hoc mem- „brum fuit, moriente, etiam illum, cui „brachium commodauerat, naſi iacturam „incurrere. Neque enim arbore, e qua „ramus alteri inoculandus auellitur, per- „eunte, ramus ille quoque exareſcit, quip- „pe ex noua arbore, cui implantatus, ſuc-



„cum, nutrimentum et vim accipit, huiuſ-
„que ſequitur conditionem. Idem et de
„naſo adſcititio putandum, qualis ſi puero
„puſillo adoptetur, quin creſcente hoc, ad
„maiorem quantitatem naſus ſit peruentu-
„rus, nihil ambigo, ac proinde non amit-
„tet vitam quoque, niſi cum eo corpore,
„cui adhaeſit. Quamquam, quid verbis
„opus eſt? quotidie videmus ſanguinem,
„quem aut venae ſectio, aut cucurbitae,
„aut vulnera e corpore prolicuerunt, pu-
„treſcere, citra corporis noxam, unde
„emanauit. Imo, membra integra a cor-
„pore aliquo, ſiue ad ſiſtendam, ne ſincera
„pars trahatur, gangraenam, ſiue inter
„pugnandum, ſiue etiam a carnifice in ſup-
„plicium, reſecta, putreſiunt, conficiun-
„turque, nullo, ne dolore quidem eorum
„minimo, qui illis carere coguntur. Profe-
„cto male conſultum eſſet Iudaeorum gen-
„ti, quin adeo periiſſet illa pridem, non ra-
„dicitus, verum eradicitus, ut cum Paulo
„loquar,

„loquar, ſi id contingeret, quod euenturum „SCHWENDTERVS metuit. Scilicet amputatur cuique infanti mari, recens nato, „praeputium, ac proiectum in diſcum plenum arena, una cum hac, interdum in „ſynagogis ſub ſuggeſtu, quem ipſi ALMEMAR vocant, interdum in loco alio „quocunque (variat enim conſuetudo etiam in Germania) effunditur, poſtquam „prius in arenam circumciſor conſpuit „quoque ſanguinem, quem ore ſuo, ter „vulnus in genitali membro exſugendo „attraxit, ne caeteroquin ſanioſus reddatur, ſi ibi fuerit relictus. Tantum autem „abeſt, ut Iudaei periculum aliquod verpis „puſionibus ex praeputio in arenis conſumto metuant, ut potius id felicitatis „ſalutiſque omen ac momentum habere „interpretentur.„ Sed hactenus de argumento circa quod TALIACOTIVS verſatur noſter; ad ipſum nunc etiam accedendum eſt opus, in quo de eo uberius expoſuit.

Praeter hanc, quam offero, editionem, prodiit illud etiam ſecunda vice *Francofurti, 1598. 8.* figurae vero aeneae in noſtra Venetiana, longe ſunt elegantiores, quare etiam ſingularis illis praefixus legitur hic titulus: *Viua curtarum narium, aurium, labiorum, traducis cutanei; inſtrumentorumque ac deligationum, quae chirurgicae huic inſertioni deſeruiunt, delineatio. Annexis una tabulis, alphabetico quaeque ordine ſigillatim, diſtincte et dilucide ob oculos conſtituentibus.* Germanice autem, uti HEISTERVS refert, prodiit nunquam.

Dedicata eſt *Venetiana noſtra editio* ab auctore, VINCENTIO GONZAGAE, Mantuae Principi. In hac nuncupatoria epiſtola grauiter conqueritur TALIACOTIVS, quam grauem, difficilem atque incommodum illi ſuſcipiant laborem, qui nouum aliquod pertractant argumentum, praecipue ſi parum vel nihil aliunde habeant adiumenti. Hanc epiſtolam varia doctorum

viro-

virorum ſequuntur elogia, quibus laborem TALIACOTII condecorarunt, ſed ea in Francofurtana deſiderantur omnia, praeter unicum illud, quod IOAN. ANDR. TALIACOTIVS, GASPARIS noſtri filius, poſuit, et ſic ſe habet:

Quid rerum natura parens miratur? an artem?
An magis ingenium GASPARIS? *an ne inanum?*
Ingenium pariterque manum, miratur et artem,
Nam ſunt humana conditione ſuper.

Sed tamen et alia quaedam adduxiſſe iuuabit. Hinc IVLIVS CAESAR CLAVDINVS, Medicus et Philoſophus, et in eadem Academia, Practicae Profeſſor Ordinarius, quinque, latina quatuor, graecumque unum compoſuit. Ex his primum hoc eſt:

Te tuus HIPPOCRATEM, GASPAR, *liber aureus et te*
Non hominem, prope iam ſed facit eſſe Deum.

Artis

Artis Apollineae myſtes penetralia pandis,
Callida quae rerum texerat arte parens.
Victa igitur; nec victa dolet; quin illa triumphat,
Quod qui tam utiliter vinceret, ipſa dedit.
Macte noua virtute; tuo, quae viſa nouerca eſt,
Natura, ingenio iam pia mater erit.

Graecum vero ita comparatum eſt:

Ἦν φάος Ἱπποκράτης μερόπων, ἐν ὅσῳ φάος εἶδεν,
Νῦν δ' ἀνθ' Ἱπποκάρτους Γάσπαρ ὅδ' ἐστὶ φάος,
Ἄμφω μὲν παιηοσύνης εὖ ἔργα μαθόντες.
Ζῶς δ' ὅγε τοῦ φθιμένου κρείσσονα δόξαν ἔχει.
Οὗτος δὴ ἐτεὸν πολλῶν ἀν τάξιος ἄλλων.
Θεῖ, ἄγε, τοῦ Θείου μνήματα φῶτος ἔλε.
Κῶε γέρον, μέγα χαῖρε, σύ τ' ὦ μέγα χαῖρε Γαληνέ,
Αὐτὴν ἥδε φέρει βίβλος ἀκεσορίην.

Hoc eſt:

Lux hominum HIPPOCRATES, *potuit dum cernere lucem;*
HIPPOCRATE *extincto lux noua* GASPAR *erit.*

Magnus

Magnus uterque manu, medica et clarissimus arte:
Maius hic alterius nomine nomen habet.
Hic vere fuerit centum pro millibus unus:
Haec cape, diuini sunt monumenta viri.
Iam mihi, Coe senex iamque ipse valeto GALENE:
Ipsa enim inclusa est hoc medicina libro.

Post haec et compluria alia elogia, sequitur Index autorum, quorum in tractatu fit mentio, aliusque totius opusculi capitum elenchus, hunc, ut videamus, quid praestiterit auctor, describendum putaui.

Index Capitum Libri I.

Cap. I. Operis subiectum, eius praestantia et utilitas una cum faciei appellationibus explicatur. *Cap. II.* De dignitate faciei et philosophicae Poeseos aliarumque disciplinarum fontibus. *Cap. III.* Alias adhuc faciei dotes in suae praestantiae gratiam explicat. *Cap. IV.* De faciei dignitate secundum Medicos. *Cap. V.* De dignitate

tate narium. *Cap. VI.* De dignitate narium fecundum Philofophos et Medicos. *Cap. VII.* Pugnatur pro GALENO, de expurgatione cerebri per nares. *Cap. VIII.* De narium conformatione, figura, fitu et caeteris, quae in membri organici difquifitionem veniunt. *Cap. IX.* De labiorum dignitate et compofitione. *Cap. X.* De dignitate aurium et earum conftructione. *Cap. XI.* Quae dicantur in corpore humano curta, in quibus curtorum Chirurgia pofita fit, quonam affectuum genere contineantur, et ad quam medicinae partem hic liber referatur. *Cap. XII.* Operationis huius tradit principia. *Cap. XIII.* De materia ad curtorum refectionem idonea. *Cap. XIV.* De loco unde cutanea propago fit educenda. *Cap. XV.* De cutis traducis quantitate feligenda. *Cap. XVI.* Qua ratione cutanea propago cutis partibus fit adiungenda. *Cap. XVII.* Quae corpora aptiora fint ad hanc operationem, et num-

quid

Index Capitum Libri II.

ordo, atque cum his uniuerſales agendorum intentiones traduntur. *Cap. II.* De uniuerſa corporum exſpiratione per ſingula medicinae inſtrumenta. *Cap. III.* Enumeratio eorum, quae pro cutis propaginis delineatione neceſſaria ſunt, ac omnis ſuppellectilis apparatus. *Cap. IV.* Quo pacto cutanea propago delineanda ſit. *Cap. V.* Curatio cutis propaginis iam delineatae. *Cap. VI.* Medela quorundam ſymptomatum, quae cuti iam delineatae aduenire ſolent. *Cap. VII.* Cur traducis cutanei depromendi actio diducatur, neque id unica ſectione fiat, quodque ſit tempus opportunum huic eductioni adminiſtrandae, et quis ſit futurus omnis illius apparatus. *Cap. VIII.* De cutanei traducis iam educendi adminiſtratione. *Cap. IX.* De curatione recentis et antiqui vulneris, cum in traduce cutaneo tum in area ipſa, nec non de cutanei traducis educatione. *Cap. X.* De inſerendi tempore, cuiuſnam ſcilicet

aetatis

aetatis cutaneus tradux ad efficiendam insitionem sit eligendus. *Cap. XI*. De apparatu eorum, quae ante insitionem necessaria sunt. *Cap. XII*. De insitionis administratione. *Cap. XIII*. De curatione insitionis, et quae victus ratio interim obseruanda sit. *Cap. XIV*. De symptomatis partium iam insitarum tum propriis tum communibus, et quo pacto corrigenda sint. *Cap. XV*. De rescindenda penitus a brachio propagine, atque ut illam demum curare deceat. *Cap. XVI*. De configuratione traducis, ut nares repraesentent. *Cap. XVII*. De insitione columnae. *Cap. XVIII*. De conformatione cutanei traducis, reliqua.

Haec igitur sunt opusculi nostri Taliacotiani argumenta. Egit iam de eo etiam SERPILIVS, im Verzeichniß einiger raren Bücher, Leipzig 1723. 8. *III*. Stück, *pag. 336. seqq.* et de auctore, eiusque vita, meritis, scriptisque consulendi sunt, GHI-

LINI, *Theatr. Ital.* FREHERVS, *Theatr. P. III. pag. 1303.* obiit autem TALIACOTIVS in patria urbe Bononiae, An. 1599. d. 3. Nou. aet. 53.



XXX

Dispensatorium Magistri NICOLAI PREPOSITI, ad aromatarios. Venundantur *Lugduni* ab IACOBO HVGVEDAM, eiusdem ciuitatis bibliopola, in vico mercuriali. Et parrhisiis in vico Sancti Iacobi sub diua virgine prope Sanctum Benedictum, 4.

In calce leguntur haec: *Finiunt introductiones* NIC. PREPOSITI, *medici clarissimi Ysagoge: in artem apothecariatis. expensis* IACOBI HVGVEDAM, *mercatoris librorum: sed arte ingenio* FRANCISCI FRADIM, *Lugd. impresse. Anno ab incarnatione Domi. M.CCCCCV.* (1505.) *die Xiiij Nouembris. Laus omnipotenti Deo.*


LIN-

LINDENIVS, in *Comment. de Scriptis medicis, ed.* MERCKLIN. *p.842.* Hunc NICOLAVM PREPOSITVM, et NICOLAVM MYREPSVM ALEXANDRINVM pro uno habet auctore, et floruisse *eum* ex IVSTI testimonio ait: A. 1524. producit etiam duas adhuc huius libri editiones, praeter hanc, quam nos indicamus, *alteram* Lugdunensem apud CLAVDIVM TVLPIN, 1536. *alteram* Parisiensem apud NICOLAVM BONFONIVM 1582, utramque in forma quarta editam. Errasse vero hic magnum errorem bonum LINDENIVM, docuerunt iam ante me LEONH. FVCHSIVS, *Opp. suor. Tom. I. pag. 208.* CONRINGIVS, *Introd. in med. uniu. p. m. 374.* STOLLE in der Medic. Gel. Histor. *p. 101.* KESTNERVS *Lexico biograph. p. 675.* Hic enim MYREPSVS, Medicus Graecus fuit et Seculo IX. floruit; noster autem PREPOSITVS inter latino-barbaros locum habet, et SALERNITANVS fuit, (vid. CONRINGII *Antiqq. Acad. Diss. III. p. 101.*)

ex

ex illiusque ALEXANDRINI NICOLAI Opere Pharmaceutico epitomen fecit, quae ille ipse est liber, quem produco, diuisus in Sectiones tres. Harum agit I) de *simplicibus*, II) de *compositis*, et III) de *terminis peregrinis*. Ex Lib. I. Cap. I. ubi de requisitis boni Pharmacopolae exponit, repetiisse iuuabit, dixisseque nostris Pharmacopolis in aurem, quod bonus Pharmacopola debeat esse: 1) *Vir conscientiosus, semper habens Deum pre oculis, in quem omnia sua opera dirigat et per eum perficiat, nec quicquam agat dolose.* 2) Quod debeat esse *diues potensque, ut sufficienter possit muniri de his que sue sunt necessaria*, et 3) quod debeat esse *sciens et expertus in sua arte. Sciens* quidem *in cognoscendo et expertus in operando, quum ars ista pure mechanica est, que plus usu et opere quam ratione aut sillogismo dicitur.* Vid. THEOPH. SINCERUS *loc. cit. Tom. III. pag. 189. seq.*

CON-



CONSPECTVS LIBRORVM, QVORVM ENARRATIONES HIC CONTINENTVR.

XIV.

